AN. LXXXIII SERIES VII FASC. I. AN. 1958

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concili

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., Arp.o Colossen. — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S , Promotor. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C[i] — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N. 4. TEL. 63.931

Periodico Trimestrale - Sped. in Abb. Post. - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 15 - III - 1958.

† BLASIUS MUSTO
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

S. S. Congregatio S. Officii.

Dubium de valida concelebratione (Adn. D. BALBONI). . . . Pag. 7

S. Congregatio de Disciplina Sacramentorum

Instructio ad locorum Ordinarios pro postulandis Apostolicis Indultis.... 4) Asservandae Ss.mae Eucharistiae in privatis sacellis (Adn. C. ZERBA). . . . . » 11
Decretum. Relatio de Confirmatione non amplius mittenda (Adn. C. ZERBA). . . . . » 25

S. Congregatio Rituum

Decretum de tabernaculo ad asservandam Eucharistiam (Adn. D. BALBONI). . . . . » 31

JURISPRUDENTIA SACRAE ROMANAE ROTAE ALIORUMQUE TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

Coram R. P. D. Joanne M. PINNA, Ponente. NEAPOLITANA. Nullitatis matrimonii (*ob impetimentum criminis*). Sententia definitiva diei 30 aprilis 1957. . . . . » 39
Coram R. P. D. Emanuele BONET, Ponente. CONSTANTINOPOLITANA. Nullitatis matrimonii. *Incidentis: de nullitate sententiae ac recursibus actoris.* Decretum diei 18 novembris 1957. . . . » 42
Coram R. P. D. Pericle FELICI, Ponente. Nullitatis matrimonii (*ob defectum discretionis in viro affecto P. G.*) Decisio diei 3 decembris 1957. . . . . » 46
Coram R. P. D. Petro MATTIOLI, ponente (*de exclusione indissolubilitatis vinculi in acatholicis*). Sententia diei 8 febr. 1951. . » 56

VICARIATUS URBIS TRIBUNAL APPELLATIONIS

Nullitatis matrimonii (*ex capite simulationis totalis et, subordinate, exclusionis boni prolis*). (F. ROMITA, *Ponens*). . . . . » 68
Nullitatis matrimonii (*ex capite exlusionis boni prolis*). (F. ROMITA, *Ponens*). . . . . » 70

STUDIA ET CONSULTATIONES

Pag.
JULLIEN, A. Riflessioni sulla responsabilità del giudice e dell'avvocato nel foro ecclesiastico, e sulla procedura canonica. . . . » 77
BENDER, L. Revocatio delegantis delegato directe intimata. . . » 97
BERG, J. Van den. De occultismo et parapsychologia. . . . » 103

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA. COPPOLA, R. Le provvidenze statuali per l'agricoltura italiana interessanti gli enti ecclesiastici. . . . . » 125

RECENSIONES

HOLBÖCK, C. Tractus de iurisprudentia Sacrae Romanae Rotae. (ROMITA, F.). . . . . » 133
LOUIS GRÉGOIRE, Le « divorce » de Napoléon et de l'imperatrice Josephine. Étude du dossier canonique. (LEFEBVRE, Ch.). . » 134
L'ANNÉE CANONIQUE. T. IV (1956). (LEFEBVRE, Ch.), . . . » 135
HERMANUS SCHMIDT, Hebdomada Sancta. 2 voll. (D. BALBONI). . » 137
GIOVANNI LIPSKI, Extensio Providentiae Divinae et applicatio spiritualis secundum S. Thomam Aquinatem. (COLAGIOVANNI, E.). » 138

DOCUMENTA ET CHRONICA

Pii PP. ALLOCUTIONES. Iis qui interfuerunt Conventui alteri catholicorum ex universo orbe, pro Laicorum Apostolatu, Romae habito. . . . . » 143
— Alumnis e Seminariis Minoribus Galliae, peregrinationis causa Romae coadunatis. . . . . » 158
— NUNTIUS RADIOPHONICUS. Iis qui interfuerunt sacris sollemnibus ob quadringentesimum et quinquagesimum expletum annum ab obitu s. Francisci a Paula, maritimae gentis et navicularium italicorum Patroni. . . . . » 161

CHRONICA

Acta Pii PP. XII. Acta SS. Congregationum (OESTERLE, G.). . » 165
Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1958_83_1

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DUBIUM

DE VALIDA CONCELEBRATIONE

Quaesitum est ab hac Suprema Sacra Congregatione an plures Sacerdotes valide Missae sacrificium concelebrent, si unus tantum eorum verba « Hoc est corpus meum » et « Hic est sanguis meus » super panem et vinum proferat, ceteri vero verba Domini non proferant, sed, celebrante sciente et consentiente, intentionem habeant et manifestent sua faciendi verba et actiones eiusdem.

Feria IV, die 8 Martii 1957

E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito Consultorum voto, proposito dubio responderi decreverunt:

Negative: nam, ex institutione Christi, ille solus valide celebrat, qui verba consecratoria pronuntiat.

Sabbato autem, die 18 eiusdem mensis et anni, SS. mus D. N. D. Pius divina Providentia Papa XII, in Audientia E.mo ac Rev.mo D. Cardinali Pro-Secretario S. Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 23 Maii 1957.

Arcturus De Jorio, *Notarius*

(*A.A.S.*, vol. 49, p. 370)

ADNOTATIONES

Quaestio non est de ritibus quibus utitur sancta Romana Ecclesia in Missa consecrationis episcopalis et ordinationis sacerdotalis, sed de nova Eucharistiae concelebrationis forma nostris temporibus eruta.*

Hanc dicunt concelebrationem quamquam sacrificium altaris immoletur ab uno tantum sacerdote, sine verborum consecrationis prolatione a sacerdotibus adsistentibus.

In conventibus ecclesiasticis, post immane bellum coadunatis, novo ritu utebantur presbyteri quo melius claresceret unitas ordinis sacerdotalis in perficiendo ipso sacrificio eucharistico.

Ut igitur inoffenso pede aggrediamur iter, haud inutile ducimus magisterium ecclesiasticum de natura participationis sacerdotalis Missae sacrificio in mentem revocare.

1. Codex juris canonici exponit doctrinam et praxim Ecclesiae Romanae de ministro sacrificii eucharistici:

can. 802: Potestatem offerendi missae sacrificium habent soli sacerdotes.

can. 803: Non licet pluribus sacerdotibus concelebrare praeterquam in missa ordinationis presbyterorum et in missa consecrationis episcoporum secundum Pontificale romanum.

Quae verba Pontificum romanorum decretis innixa omnem erroneam interpretationem auferre videbantur, tam de rituum explicatione, quam de natura actionis stricte sacerdotalis.

2. Elapsis vix triginta annis Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII in encyclica « Mediator Dei » reiecerat errorem, olim damnatum, eorum qui tenent « populum vera perfrui sacerdotali potestate... quam ob rem eucharisticum sacrificium veri nominis « concelebrationem » existimant, ac reputant expedire potius ut sacerdotes una cum populo adstantes « concelebrent », quam ut privatim sacrificium offerant absente populo »[1].

Ex quibus verbis effluere videtur illam « concelebrationem » a sacerdotibus missae sacrificio more fidelium adstantibus denuo damnatam esse, at contra semper illi praeferendam privatam celebrationem.

---

* Si notitias quaeris theologicas vide: Ch. Baumgartner, Bulletin d'histoire et de théologie sacramentaires: Recherches de science religieuse 44 (1956) 267-73; Liturgicas vero: F. Oppenheim, Concelebrazione: Enciclopedia cattolica 4 (1950), 159-60.

[1] Acta Apostolicae Sedis 39 (1947), 553.

3. Attamen cum multi essent qui in hoc errore et in praxi quae refertur permanerent, idem Summus Pontifex alloquens episcopis Romae congregatis quando Pium papam decimum sanctorum catalogo adscripsit, denuo illum errorem aggressus est.

Dixit vero de statuenda natura actus qui est in missae auditione et celebratione: « ...assertio quae his nostris temporibus non solum a laicis sed interdum a quibusdam theologis et sacerdotibus fit ab iisque spargitur, tamquam opinionis error reici debet, scilicet idem esse unius missae celebrationem cui centum sacerdotes religioso cum obsequio adstent, atque centum missas a centum sacerdotibus celebratas. Non ita profecto. Quoad sacrificii eucharistici oblationem tot sunt actiones Christi quot sunt sacerdotes celebrantes, minime vero quot sunt sacerdotes missam... audientes; hi enim comparandi... sunt christifidelibus laicis qui sacrificio adsunt » [2].

Cum denuo alia declaraverit de natura, de ministerio et de adsistentia sacrificio missae, Summus Pontifex locutus est de natura oblationis eiusdem sacrificii eam definiens ut « actionem Christi » a solis presbyteris tantum cum verborum consecrationis prolatione perficiendam.

4. Error vero huc illuc incolumis effugere videbatur. Denique ad eos qui internationali conventui de Liturgia pastorali, Assisii celebrato, interfuerunt, iterum atque iterum idem Pontifex de eadem re locutus est: « Itaque sacerdos celebrans personam Christi gerens, sacrificat ipse solus, non populus, non clerici, ne sacerdotes quidem, pie religioseque qui sacris operanti inserviunt; quamvis hi omnes in sacrificio activas quasdam partes habere possint et habeant » [3].

Nec praefatus Pontifex vetuit quod « unus tantum sacrum peragat, alii vero (sive omnes, sive plurimi) huic uni sacro intersint, in eoque sacram synaxim e manu celebrantis sumant » [4] sed clare secernere voluit duplicem participationis formam in sacrificio peragendo:

« C'est la consécration où, dans l'acte de la transsubstantiation operée par le Seigneur, le prêtre célébrant « est personam Christi gerens ». Idcirco is tantum qui verba consecrationis profert valide missam celebrat.

Quidam vero theologi, non adhaerentes doctrinae Pontificis, fructum huiusmodi celebrationis cum natura actus sacrificalis fa-

---

[2] Monitor ecclesiasticus 79 (1954), 693.
[3] Ibidem, 79 (1954), 692.
[4] Ibidem, 79 (1954), 694.

cile permiscebant, quibus prorsus: « Nous le répétons donc, la question décisive... n'est pas de savoir quel fruit l'âme en retire, mais quelle est la nature de l'acte qui est posé » [5].

Etenim actus sacrificalis non procedit ex quavis ecclesiastica institutione sed divinam ducit originem. Ipse Christus « in supremae nocte coenae » postquam verba transsubstantiationis locutus fuerit: « Haec quotiescumque feceritis — addidit — in mei memoriam facietis ». Ecclesia vero custos et fidelis interpres doctrinae et voluntatis Iesu Christi, moderatis et elegantioribus verbis iter theologis et liturgiae cultoribus patens praebet.

Ingenuis nostrarum ephemeridarum lectoribus locos sermonum Pontificis praebuimus quo magis eluceat praetium magisterii ecclesiastici de natura sacrificii, interdum oblivione affecti, in ubere progressu theologiae.

Insuper notitias dedimus ut negativum Supremae Congregationis S. Officii responsum, ratione nunc praeditum, plane comprehendatur.

Quibus vero positis neque uber progressus de natura sacrificii, neque frequentior in aevum concelebratio praecluditur, sed tantum declaratur quod sacerdotes sacro adsistentes non dicuntur « concelebrantes » nisi verba consecratoria insimul proferant.

Nobis, praxi quam exposuimus nullo praetio faventibus, sed huiusmodi pseudo-concelebrationis significationem intuentibus, aspicienda videtur sollicitudo et desiderium veram concelebrationem magis ac magis peragendi.

Namque non agitur de cupiditate rerum novarum sed de amplificatione ritus quo et Ecclesia latina cum ceteris occidentalibus et Ecclesia graeca cum pervetustis ecclesiis orientalibus utuntur. Quae concessio in certis momentis id est in Coena Domini, in conventibus studiis theologicis vel exercitiis spiritualibus vacandis, non vero temporis brevitatem sed magis mutuum amorem et cum episcopo vinculum unitatis fovet ac perstringit.

« Unde decet — scribit s. Ignatius episcopus et martyr ad Ephesios (cc. IV-V) — vos in episcopi sententiam concurrere, quod et facitis. Nam memorabilem vestrum presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum est episcopo ut chordae citharae. Propter hoc in consensu vestro et concordi charitate Iesus Christus canitur... Si enim unius atque alterius precatio tantas vires habet; quanto magis illa quae episcopi est et totius Ecclesiae? » [6].

D. Balboni

[5] Ibidem, 82 (1957), 14.
[6] PG., 5, 648-50.

SACRA CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

I

INSTRUCTIO AD LOCORUM ORDINARIOS PRO POSTULANDIS APOSTOLICIS INDULTIS *... IV) ASSERVANDAE SS.MAE EUCHARISTIAE IN PRIVATIS SACELLIS.

§ 1. *Brevis historica evolutio instituti asservationis SS.mae Eucharistiae* [1].

1. Uti iam innuimus in prolegomenis explicandis Instructionis, scriptum legimus apud rerum ecclesiasticarum Auctores primis Ecclesiae saeculis SS.mum Sacramentum asservari solere extra Missam non solum in ecclesiis sed et in privatis fidelium aedibus in eorum commodum, nempe ut suis manibus hac divina Dape sese reficerent ad modum sanctae Communionis et, in vitae discrimine, per modum viatici, crebro ad fortiter sustinendum martyrium pro fidei confessione, si necessitas posceret.

Eadem de causa deferebatur etiam in itinere et usus huiusmodi diutius perseveravit; constat enim non solum Summos Pontifices verum etiam sacerdotes, monachos ipsosque fideles Eucharistiam adhuc secum ferre tempore medii aevi.

Hic tamen asservandi modus gravibus scatebat incommodis; Eucharistiae enim haud semper debita reverentia et custodia consulebatur, interdiu indigne atque sacrilege Eandem suscipi, nonnunquam autem magicis artibus inservire, et, si in haereticorum manus incidisset, a nefariis quoque sceleribus immunem non evadere contingebat.

Quo factum est ut, persecutionibus absolutis et reddita pace Ecclesiae, gradatim per saeculorum decursum asservatio in pri-

---

* Cfr. *Monitor Ecclesiasticus*, LXXIV (1949), numero unico, p. 70 ss.; ibid. LXXV (1950), fascic. primus, p. 35 ss.; ibid. LXXVI (1951), fascic. tertius, p. 456 ss.; ibid. LXXVIII (1953), fascic. tertius, p. 421 ss.; ibid. LXXX, (1955), fascic. primus, p. 25; ibid. LXXXI (1956), fascic. secundus p. 228 ss.

[1] Fontes et copiosam bibliographiam recenset P. L. Köster, O. F. M. in suo opere a. 1940 edito « *De custodia SS. Eucharistiae disquisitio historico-iuridica* »; utiliter in particulari conferri possunt: Card. Bona « *Rerum lieturgicarum libri duo* »: Martène « *De antiquis Ecclesiae ritibus* »; Card. P. Gasparri, « *De SS.ma Eucharistia* »; Many « *Praelectiones de Missa, cum appendice de SS. Eucharistiae sacramento;* Cappello « *Tractatus canonico-moralis de sacramentis* », vol. 3.

vatis domibus magis magisque ad casus extraordinarios coarctaretur, et tamquam locus proprius asservationi deputaretur ecclesia aut publicus locus sacer. Et quamvis consuetudo Eam custodiendi in profanis aedibus, praesertim apud monachos et moniales longius protracta sit, ad illam extenuandam atque demum eradicandam opem contulit diuturnam Ecclesia plurima edendo vetita. Unde sat clare colligitur eam firmam fuisse Ecclesiae mentem ut SS.ma Eucharistia sive pro tutiori custodia, sive pro congruenti reverentia atque decore augustissimo Sacramento praebendo tamquam in nativo loco conservaretur in ecclesiis et publicis oratoriis (cfr. Instructionis prooemium, n. 3).

2. Historicae fontes satis nos edocent de modo asservationis Sacrarum Specierum et de sede Eisdem adsignata, quam nuncupant *pastophorium, sacrarium,* aut *secretarium,* quae nomina designant locum ad ecclesiam pertinentem at simul ab ea segregatum securitatis causa, aut ob disciplinam arcani ut paganos et cathecumenos lateret, aut quia, uti nonnulli opinantur, quia tunc Eucharistiae asservandae finis non erat, uti nunc usu fit, publica adoratio.

Saeculo autem IX vertente, uti quaedam testimonia ostendunt, Ipsa iam asservabatur in altari. Cum vero oporteret ut hic divinae bonitatis immensus thesaurus maxima cum diligentia custodiretur, processu temporis plurimae sunt constitutae normae et speciale munus istius custodiae commissum fuit presbyteris et clericis. Tempore autem Concilii Lateranensis IV (a. 1215), ob nimia ingravescentia furta sacrilega, praescriptiones in diversis locis vigentes in generalem legem conflatae sunt pro universa Ecclesia et prodiit Decretum in Decretalibus Gregorii IX relatum, *c. I, X, de custodia Eucharistiae* etc. III, 44 [2].

3. Iamdiu ante Concilium Tridentinum graviter vetitum erat Eucharistiam deferre extra ecclesiam, nisi ad viaticum ministrandum, aut asservari in profanis aedibus, licet usus istius reliquias postremas adhuc saec. XVII dioecesana Concilia penitus auferre niterentur. Ceterum Conc. Tridentinum sequentia per Decretum declarare statuit: « *Consuetudo asservandi in sacrario Sanctam Eucharistiam adeo antiqua est ut eam saeculum etiam Nicaeni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, et in hunc usum diligenter in ecclesiis conservari... multis in Conciliis*

---

[2] Köster, o. c. p. I, cap. III, § 1 et 2; p. II, cap. III, art. II.

praeceptum invenitur, et vetustissimo catholicae Ecclesiae more est observatum. Quare sancta haec Synodus retinendum omnino salutarem hunc et necessarium morem statuit » (Sess. XIII, c. VI).

S. Congregatio Concilii die 2 m. Octobris 1677 declaravit recipere SS. Eucharistiam in domibus et ad alios deferre, nisi graviter aegrotos, gravem esse errorem et quidem damnandum; atque reprehendit abusum deferendi Eucharistiam in itineribus, quem abusum damnavit regularium Eam deferendi in crumena, contra quem abusum vehementer surrexit eique severissime obstitit Benedictus XIV in Const. *Etsi pastoralis,* 26 maii 1742 [3].

4. Post vero Conc. Tridentinum constans et universalis norma servanda erat asservandi Eucharistiam tantummodo in paroecialibus ecclesiis, nisi adesset consuetudo immemorialis vel Apostolicum indultum. De more proinde asservabatur in cathedralibus ecclesiis, collegiatis, paroecialibus et regularium. Idem Concilium consuetudinem abrogavit retinendi SS. Species in choro aut inter saepta monialium, non vero in ecclesia, ne sacerdos clausuram ingredi cogeretur. Quandoque, sed raro, asservabatur in ecclesiis aut potioribus oratoriis seminariorum, collegiorum, nosocomiorum, confraternitatum et similia iam tempore medii aevi [4].

5. Modernis temporibus *ex indulto Apostolicae Sedis* concessa fuit asservatio, ita ut usus generalis evaserit. Loca vero, quae indigebant facultate apostolica, recensentur oratoria Episcoporum, nobilium et caeterarum personarum privatarum, naves quae maria transiliunt, saepissime cappellaniae rurales, pro quibus tamen vix facultates a Sancta Sede tribuebantur, quia indignae censebantur hoc privilegio et debita tutela destitutae ad efficaciter avertenda furta, neglegentias et irreverentias; proinde prudenti Episcopi iudicio facultatis concessio committebatur [5].

6. Demum, iure Codicis I. C., custodia SS. Eucharistiae regitur canonibus 1265-1275. Quare custodiri *debet* in ecclesia cathedrali, in ecclesia principe Abbatiae vel Praelaturae *nullius,* Vicariatus et Praefecturae Apostolicae, in qualibet ecclesia paroeciali vel quasi-paroeciali et in ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum sive virorum sive mulierum.

---

[3] Köster, o. c. p. III, cap. II, § 2.
[4] Köster, o. c. p. III, art. II.
[5] Köster, l. c.

Custodire autem *potest,* de licentia Ordinarii loci, in ecclesia collegiata et in oratorio principali sive publico sive semipublico tum domus piae aut religiosae, tum collegii ecclesiastici, quod a clericis saecularibus aut a religiosis regitur.

Ut in aliis ecclesiis seu oratoriis custodiri *possit,* necessarium est indultum apostolicum: loci Ordinarius hanc licentiam concedere potest tantummodo ecclesiae aut oratorio publico *ex iusta causa et per modum actus.*

§ 2. *SS.ma Eucharistia in domesticis oratoriis ex privilegio Apostolico dumtaxat asservari potest.*

1. De praescripto enunciati canonis 1265 § 2, ut SS.ma Eucharistia asservari queat *in privatis sacellis* indulto Apostolico opus est, nec loci Ordinarius ibi concedere potest licentiam huiusmodi ne ex iusta causa quidem aut per modum actus. Pariter vi § 3 eiusdem canonis « *nemini licet sanctissimam Eucharistiam apud se retinere aut secum in itinere deferre* » (cf.r Instr. IV, n. 4).

Harum praescriptionum ratio erui debet a finibus, quibus innititur asservatio SS.mi Sacramenti extra Missam.

Porro primarius et primigenius finis asservationis SS. Specierum extra Missam in ecclesiis et publicis oratoriis est administratio sancti viatici, uti desumitur ex citato Decreto Tridentino (sess. XIII, c. VI); secundarii fines sunt administratio sanctae Communionis in ecclesiis extra Missae celebrationem atque adoratio Domini Nostri Iesu Christi sub Eucharisticis speciebus praesentis (cfr. Instr. IV, n. 3).

Quoad finem primarium haec scite E.mus Card. P. Gasparri (*o. c., II, n. 272*): « *Iure communi asservatio animadvertit Eucharistiae praecipitur ratione infirmorum quibus ministrari debet, licet consequenter inducatur administratio in ecclesia pro quocumque fideli et pro adoratione. Deficiente prima ratione, iam non licet Eucharistiam asservare sine Apostolico indulto* ».

Adorationis finis ita illustratur a cl. Van den Staffen (*S. Liturgia, IV, q. 149*): « *Ut habeant continuo fideles venerationis argumentum erga hoc admirabile Sacramentum, quod, cum vere contineat gratiarum fontem Christum Jesum, eodem modo Deum colere et revereri debent* »; cui consonat cl. P. Cappello (o. c., I, n. 367): « *Ut fideles semper frui possint Christi praesentia Eumque devote venerari in eius divinitate et humanitate atque satisfacere ipsius Christi desiderio, qui ait: Venite ad me omnes et reficiam vos* ».

2. Ante Codicem I. C. supplices libelli ad indultum impetrandum mitti debebant ad S. C. Concilii, quae gratiam per rescripta indulgebat ad tempus valitura; sed quandoque etiam per Breve, et ideo ad vitam indultarii, privilegium concedebat.

Ceterum Sedes Apostolica hanc facultatem elargiri non solebat pro cappellis ruri sitis, non solum propter irreverentiae periculum, sed quia dedecebat ut tantum Sacramentum in loco minus sollemni asservaretur (cfr. § 1, n. 5). Si tamen cappella a paroeciali ecclesia distabat, atque aderat populi concursus et necessaria concurrebant pro decenti et secura custodia, concedere solebat, sicuti in *Neapolitana*, 31 iunii 1706 et in *Fulden.* 17 febr. 1883. In *Tiburtina*, 27 maii 1702, demandavit ut prius erigeretur aliqua cappellania residentialis pro custodia et cura SS. Sacramenti et postea supplicaretur pro indulto.

At multo minus hanc licentiam concedere consueverat eadem S. Congregatio pro cappellis privatis domorum privatarum [6].

Iure Codicis disciplinam huiusmodi moderatur pro laicis oratoribus et pro saecularibus presbyteris S. Congregatio de Sacramentis (can. 249) [7]; pro sodalibus religiosis in ipsorum commodum S. Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita; pro fidelibus et presbyteris ritus orientalis S. Congregatio pro Ecclesia Orientali; pro locis Missionum S. Congregatio de Prop. Fide.

3. Mos postulandi ab Apostolica Sede indultum asservandi SS.mam Eucharistiam in domesticis sacellis progressu temporis sat longe lateque invaluit, praesertim ex parte nonnullarum nationum, et fere numero decertavit cum usu frequentiori petendi ipsa domestica oratoria; immo saepe eveniebat ut fideles non pauci utroque privilegio insigniri percuperent. Quapropter aut ambo privilegia una simul flagitabant aut paulo post prius oratorii domestici impetratum indultum et posterius SS.mum Sacramentum asservandi consequi satagebant. Supplices vero preces ad hunc finem Sanctae Sedi frequenter porrectas SS. Apostolica Dicasteria coërcere studebant complures libellos utpote validis causis destitutos reiciendo, quam tamen in disciplinae defensione constantiam oratores non pauci infringere omni contentione nitebantur (cfr. Instr. IV, n. 1). Instructio (l. c.) rite animadvertit quandoque in libellis supplicibus S. Congregationi de Sacramentis exhibitis non suppe-

---

[6] E.mus Card. P. Gasparri, o. c., II, n. 982.

[7] Const. *Sapienti consilio* S. Pii PP. X... Ordo servandus in SS. Congregationibus etc. Romanae Curiae, 29 sept. 1908, Pars II, Normae peculiares, cap. VII, art. III, n. 10°a, n. 11°b.

tere necessarias sponsiones pro debita reverentia, congruo honore iugique adoratione SS. Specierum; quandoque non praeberi omnimodam certitudinem pro securitate custodiae Earundem, quae praescripta fuerat per Instructionem eiusdem S. C. de Sacramentis, diei 26 maii 1938, quae inscribitur « *De SS.ma Eucharistia sedulo custodienda* » [8].

Re enim vera in hac Instructione (n. 10, d) hisce verbis S. Congregatio hortatur Episcopos: « *ne se nimis faciles praebeant in suscipiendis et commendandis precibus pro impetranda facultate asservandi SS.mam Eucharistiam in locis, quae de communi iure eadem carent, immo abstineant prorsus, nisi gravissimae causae intersint, praesertim in privatis oratoriis et ecclesiis a domibus fidelium nimis dissitis, in desertis montibus magnisque camporum spatiis sitis, quibus non suppetant ea omnia quae pro fideli et tutissima custodia SS. Specierum requiruntur. Tolerabilius sane erit ut quandoque etiam notabili fidelium parti commodum non praebeatur SS.mae Eucharistiae adorandae, quam ut Eadem exponatur sat probabili periculo profanationis* ».

Exinde iam deducitur Apostolicam Sedem inopportunum censere ut SS. Species asserventur extra loca, quae memorantur in can. 1265 § 1 nn. 1° et 2°, quae de more facilius personam praesto habent Earundem curae et custodiae praepositam; et potissimum ut custodiantur in domesticis oratoriis et ecclesiis a domibus fidelium dissitis.

Nullus reapse est qui non videat quantum temeritatis saperet concessio huius praeclarissimi indulti absque concursu utriusque conditionis requisitae ob probabile sane periculum exponendi SS. Species neglegentiae et irreverentiae aut etiam Earum profanationi.

4. Prosequitur Instructio (l. c.) tres praecipuas rationes recensendo easque merito tamquam ineptas reprobando, quae saepe adducuntur ad privilegium istud impetrandum: scil. 1) ut indultarii explere et augere valeant suam pietatem eucharisticam; 2) aliqualis benemerentia eorundem erga Ecclesiam generice plerumque significata; 3) distantia oratorum ab ecclesia in qua SS. Eucharistia custoditur, quam commode adire impediuntur pro cotidiana adoratione ob senium vel corporis infirmitatem.

5. Inopportunitas conservandi SS.mam Eucharistiam in domesticis oratoriis, praeter cetera, demonstatur a sequentibus animadversionibus:

[8] A. A. Sedis, a. XXX pag. 198 seq.

a) ab inexsistentia finis primigenii et principalis asservationis Eiusdem, qui est sancti viatici subministratio, quique dumtaxat expletur in ecclesiis cathedralibus, paroecialibus atque adnexis domibus religiosorum (can. 1265 § 1, n. 1°);

b) ab inexsistentia pariter in iisdem oratoriis necessitatis frequentis sacrae Communionis extra Missam peragendae, quae plerumque tantummodo exsistit in locis sacris, ad quae fideles solent potissimum accedere, quaeque sunt memoratae ecclesiae cathedrales etc. atque collegiatae, in quibus congruens cleri copia suppetit, atque nonnulla alia oratoria publica particularibus fidelium coetibus destinata;

c) a formidine profanationis aut irreverentiae in SS.mum Sacramentum. Etsi enim vix ullus nunc temporis ob furum aut scelestorum hominum audaciam reperiatur locus, etiam tutissimus et munitissimus, qui inspectis modernis instrumentis ad robustiora clatra, ianuas, cancellos, fenestras infringenda, penetrari nequeat; attamen periculum istud occurrere potest etiam in domesticis sacellis SS. Species asservantibus puta v. g. ex parte cuiusdam familiaris indultarii, uti ex tristi experientia constat.

6. Praecipua ratio a quibusdam adducta, quae recolitur sub relato n. 3, c) Instructionis, vi cuius fideles ad indultum implorandum moventur, est possibilitas aut commoditas frequenter invisendi pro adoratione SS. Sacramentum. Quae quidem pietatis exercitium, etsi commendetur in can. 1273 C. I. C. et quam maxime sit laudandum utpote perutile magnique solatii multorum fidelium, a nulla tamen lege praecipitur, proinde quisque in quolibet reperiatur loco, quamvis ecclesiam adire nequeat, adorationis actus rite elicere potest.

Equidem si Apostolica Sedes enunciatis dumtaxat permota rationibus hoc privilegium indulgeret, profecto illud multiplicaretur quasi in infinitum et quam maxime proinde vilesceret: vix enim non inveniretur familia aut fidelis quisquam, etiam spectata christianae vitae ratione fulgentes, qui praefatis innixi rationibus ad impetrandum indultum non adspirent. Et quomodo tunc de custodia SS. Specierum, iugis Earum adoratione, reverentia ac decore in team ampla favoris multiplicatione efficaciter caveri poterit?

Ceterum si animadvertas quod nedum Praelati etiam episcopali dignitate aucti, sed ipsi quoque RR. EE. Cardinales iure communi hoc privilegio carent, quod nec recensetur in can. 239, qui privilegia facultatesque continet eis spectantia, neque adnumeratur inter cetera privilegia quibus fruuntur vi aliorum ca-

nonum in suis titulis, profecto concludes Apostolicam Sedem illud in maxima aestimatione habere, uti ab ipsa eius natura postulatur, atque proinde parcissime esse indulgendum.

Idcirco si ipsi Em.mi Cardinales et a fortiori ceteri Praelati eis inferiores tanto privilegio ex communi iure sunt destituti, atque ut eodem assequantur indigent et ipsi Apostolico indulto, quid dici debet de ceteris presbyteris et de fidelibus qui illud inconsiderate obtinere arbitrantur?

Procul dubio admodum graves intercedere debent causae ut illi conspicuo privilegio valeant inhiare; agi profecto debet de personis optime benemeritis de Ecclesia eiusque piis operibus praeter quam ob intaminatos mores, christianae vitae spectatae integritatem, religionis ingenuam professionem praecellentibus, adeo ut in communi hominum aestimatione digni censeantur qui illo insigni favore de Sanctae Sedis benevolentia honestentur.

7. Instructio (l. c., n. 2) recolit facultatem asservandi aliquando postulari pro oratoriis *ruri* sitis, quae longa vel notabili distantia ab ecclesia seiuncta sunt, ubi familiae indultarii aut stabilem aut temporaneam, v. g. tempore rusticationis, residentiam figunt.

Instructio (I, n. 9), ubi agit de moderanda oratorii domestici disciplina, Episcopis onus imponit instandi apud oratores ut, potius quam privatum, publicum erigant oratorium, quoties illi, ceteris concurrentibus, legitime postulant indultum domestici sacelli *ruri* erigendi: tunc enim facilius facultatem asservandi SS. Eucharistiam poterunt impetrare. Nihilominus utique reperiri queunt domestica sacella ruralia, pro quibus petitur asservatio SS.mi Sacramenti.

Uti alias adnotavimus in commentario de privatis istis oratoriis (n. 20), accidere potest ut in castris, praediis, villis etc. in quibus oratorium invenitur, praeter indultarium eiusque familiam, et coloni fundis addicti aliique fideles vicinias incolentes cum suis familiis stabiliter ibi constituti permittuntur ex indulto Sacrum ibi audire pro praecepti satisfactione, et tunc SS. Eucharistiae suscipiendae et adorandae facilis eis porrigitur occasio iisdemque in vitae discrimine Ipsa per modum sacri viatici valde opportune ministrari potest.

Iam supra n. 5 § 1 et n. 2 huius paragraphi adnotavimus etiam in antiquo iure S. Sedem non solere licentiam concedere asservandi SS. Eucharistiam in cappellis ruralibus, non solum propter metum irreverentiae, sed etiam quia tantum Sacramentum

in loco minus sollemni detineri dedecebat. At si cappella ab ecclesia paroeciali distabat, aderat populi concursus et necessaria pro decenti custodia concurrebant, S. Sedes concedebat indultum.

8. Ast longe maior postulationum numerus, uti ab Instructione describitur, postremis hisce temporibus volvebatur circa asservationem in privatis oratoriis in urbibus aut pagis erectis, in quibus privilegium plerumque consulebat utilitati indultariorum aut eorundem familiarum dumtaxat, quorum membra de more valde numero pauciora exsistebant et tunc proinde duplex memoratus finis a lege intentus pro asservatione divini Sacramenti in Ecclesia extra Missam saepe saepius non attingebatur.

9. In oratoriis *ruri* sitis, ad quae notabilis fidelium pars convenit ad festivum praeceptum adimplendum, Sacra Congregatio in Instr. mitius sese gerere declarat in indulgenda facultate asservandi SS. Species, quippe quae facultas cum duplici fine congruat ob quem inde ab antiquo aevo usus invaluerat asservandi Eucharistiam extra Missam, et indultum cedat in bonum fidelium, quorum pietas magis fovetur per frequentem susceptionem illius divinae Dapis Eiusque congruentem adorationem, atque propitiam perhibeat occasionem administrandi Viaticum in casu necessitatis. Quae vero dicenda sunt quando cum duplici enunciato fine concurrat praestatio cautionum de fideli tutaque custodia ac reverentia Sacramento debita. Tunc vero, ad normam can. 1266, obligatio imponitur ut quotidie per aliquot saltem diei horas oratorii fores fidelibus pateant Eucharistiam visitare cupientibus, et semel saltem in hebdomada Sacrum ibi celebretur (can. 1265 § 1) pro renovatione sacrarum Specierum (cfr. Instr. IV, n. 3).

Cautius autem procedit S. Congregatio in suscipiendis precibus in hypothesi recolita sub numero praecedenti: quapropter postulationes pro impetrando indulto, licet instantes et etiam instantissimae, nisi conditionibus omnibus fulciantur, quae sub n. 4 Instructionis describuntur, omnino reicit utpote necessariarum conditionum expertes. Ratio huius iustae severitatis praecise reponenda est in absentia duorum finium ob quos Eucharistia de more extra Missam asservatur in locis sacris, qui, uti pluries memoravimus, sunt necessitas Viatici administrandi (primarius seu primigenius finis), et distributio SS. Eucharistiae extra Missam et adoratio D. N. I. C. sub sacris Speciebus (finis secundarius) (Instr. l. c.). Ad rem igitur ineptas prorsus aestimat S. Congregatio rationes ut plurimum adductas ad preces istas roborandas, quas singillatim in superiori n. 3 expendimus.

10. Instructio (l. c. n. 4), in mentem revocato praescripto can. 1265 § 2, iuxta quod ut SS. Eucharistia custodiri possit in oratoriis privatis indultum Apostolicum opus est, cui derogare non valet ipsemet loci Ordinarius neque per modum actus etsi iusta causa intercedat, antiquam et constantem memorat Apostolicae Sedis praxim non concedendi facultatem asservandi Eucharistiam in domesticis cappellis privatarum domorum nisi sub quatuor sequentibus conditionibus: scil. a) *in casibus extraordinariis;* b) *gravibus de causis;* c) *praevia commendatione Episcopi;* d) *additis opportunis cautelis.*

Hae conditiones eaedem sunt quas recenset Card. P. Gasparri (o. c. n. 982).

Graviter igitur Instructio monet Exc.mos residentiales Episcopos ut postulationes ad hunc finem suscipere abstineant Sanctae Sedi commendatas mittendas, nisi simultaneus habeatur concursus enunciatarum conditionum.

De singulis nonnulla animadvertere praestat.

11. Imprimis oportet ut a) *agatur de casibus revera extraordinariis,* inspecta plus minusve vastitate dioecesis, ideoque hi casus ad minimum sunt reducendi ne privilegii momentum extenuetur et ne larga sternatur via ad illud impetrandum cum inseparabiliteer adnexis incommodis et abusibus. Casus, ut *extraordinarius* dici queat, aestimandus erit ab omnibus adiunctis in eodem occurrentibus, inspectis sive qualitate personae aut eius familiae privilegium exposcentis, sive egregiis operibus ab ea praestitis et similibus.

Praeterea necesse est ut b) *graves intercedant causae* tanto privilegio consentaneae. Proinde ex hoc capite tales habendae non sunt quae passim generice plerumque adducuntur ab oratoribus, quasque sub n. 3 refellimus. Sicuti diximus pro impetrando indulto oratorii domestici, *causa princeps* erat « *benemerentia vere singularis oratoris erga Ecclesiam vel religionem* », cuius exempla illustrat Instructio (I, n. 8); a fortiori dicendum est graviorem requiri causam ad indultum asservandi SS. Species obtinendum, inspecta maiori excellentia favoris. Quodsi, uti memoravimus, etiam ecclesiasticae personae in altioribus hierarchiae gradibus collocatae ex communi iure hoc privilegio non gaudent, eo magis eodem careant necesse est ceteri presbyteri et laici fideles, quamvis ob quandam dignitatem conspicui, nisi peculiaria omnino exhibeant argumenta de insigni sibi comparata benemerentia ob praestantiores sane res gestas in bonum Ecclesiae vel religionis.

Ideoque Instructio merito ad rem conditiones quasdam enu-

merat, quibus subsint oportet hi oratores ut indultum assequi valeant. Agi enim debet de « *oratoribus undequaque eximiis* », proinde cuiusvis malae notae expertibus in genere morum et in christianae vitae ratione. Insuper « *de ecclesia et religione, sive ob personalia munera praestita aut collatum praecellens beneficium liberalitatemque in pios usus optime meritis* »: ubi est adnotandum quod benemerentia non generica tantum, quamvis notabili, sed *optima* seu praecellenti frui debent; « *qui ob apertam fidei professionem honestatemque vitae sive privatae sive publicae, subolisque catholicam institutionem in praeclarum exemplum aliorum fidelium vere emineant* »; idcirco exigitur ut quoad mores et christianae vitae conversationem aliis exemplo praefulgeant, paucis scil. verbis requiritur quod sint irreprehensibiles exemplariaque evadant spectatae integritatis religiosae et moralis: adeo ut appareat quod hoc prorsus singulare privilegium eisdem impertitum tamquam praemium altissimumque emolumentum ob excellentia prorsus patrata opera ab omnibus agnoscatur.

c) Tertia conditio exigit ut ad indulgendum porrectae « *preces ab ipso Episcopo personaliter aut Praelato eius successore in munere commendentur* »: qua conditione excluditur interventus cuiusvis ecclesiastici dioecesanae Curiae officialis Episcopo inferioris, ne forte accidat ut iste officialis ex personarum acceptione et absque sedulo examine benemerentiae requisitae in oratoribus, istorum preces audeat commendare. Sermo igitur ibi fit de « *Episcopo aut Praelato eius successore in munere* » ad significandam (uti diximus in commentario « de oratorio privato » § 4, n. 2 et « de altari portatili », § 4 n. 8), exclusionem ceterorum Curiae Officialium, haud excluso ipso *Vicario Generali* aut *Delegato Episcopali,* et ad designandum e contra *Vicarium Capitularem* et *Administratorem Apostolicum,* qui in iure veniunt uti successores Episcopi in munere.

d) Demum in precibus, uti Instructio exigit, sponsiones exhibendae sunt quoad securitatem custodiae; frequentem adorationem ex parte indultarii eiusque familiarium et etiam, si commode fieri possit, aliorum fidelium; crebram renovationem SS. Specierum; lampadis praesentiam diu noctuque ante tabernaculum lucescentis et observantiam ceterarum praescriptionum liturgicarum de congruo decore ac reverentia SS. Eucharistiae praestandis (can. 1265 § 1).

Aliae conditiones, quae Apostolico Indulto Sacrae Congregationis de Sacr. inseruntur, respiciunt obligationem in oratorio, ubi SS. Eucharistia asservatur, semel saltem in hebdomada Sacrum litandi ad SS. Species renovandas, et ciborii clavem caute custo-

diendam, uti conspici potest in formula eiusdem Indulti, cuius transcribitur tenor:

e) « *N.N...., dioecesis... ...humiliter postulat a Sanctitate Vestra facultatem asservandi divinum Sacramentum in suo privato oratorio ob allatas causas....*

Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum, vigore facultatum a Ss.mo Domino Nostro ... sibi concessarum, attenta commendatione Ordinarii ... ob legitimas causas allatas, benigne committit eidem Ordinario, ut, pro suo arbitrio et conscientia, gratiam indulgeat iuxta petita, dummodo sacrae aedes sint decenter instructae et supellectilibus sufficienter praeditae, ibidem sanctum Missae sacrificium semel saltem in hebdomada celebretur, ciborii clavis caute custodiatur, lampas ante Sanctissimum Sacramentum diu noctuque collucescat, Sacrae Species frequenter iuxta rubricas renoventur, et Earumdem securae custodiae diligenter provisum sit ad normam Instructionis huius S. C. editae in festo Ascensionis Domini a. 1938 atque relatae in Commentario Officiali Acta Apostolicae Sedis *diei 10 iunii eiusdem anni.*

Praesentibus valituris ad triennium (aut, rarius, ad quinquenniam).

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die ... »

f) Equidem iure merito valde anxiam sese exhibet Sacra Congregatio de Sacramentis quoad securitatem custodiae SS. Eucharistiae in domesticis oratoriis et quod debitum honorem ac reverentiam Eidem exhibendam ex parte indultarii eiusque familiarium. Forsan prima fronte videretur magis esse cautum huic necessitati quia SS. Species committuntur custodiendae personis ut plurimum valde religiosis, quaeque proinde singularem specialissimamque curam habere praesumuntur de Iisdem; ac praeterea, cum Eaedem custodiantur in privatis aedibus, quae de more validis ianuis, clatris, fenestris et similibus obicibus communitis minus obnoxiae apparent audaciae furum ac sacrilegae profanationi improborum hominum, quapropter profanationis periculum minus esse pertimescendum censeretur.

Sed, proh dolor, non semper, experientia teste, haec praesidia sufficiunt ad quodlibet amovendum discrimen huiusmodi: conamina ad sacrilega scelera patranda utique provenire possunt a personis domui extraneis, quae has aedes frequentant, indultario non bene cognitis, e. g. operariis, opificibus; etc.; aut a vicinias incolentibus, qui sunt de familiae usibus edocti, aut ab his, qui familiae famulatum praestant.

Profecto non defuerunt nefarii casus, in quibus vel ipsi familiae domestici, aut personae domum frequentantes, aut etiam extraneae, sed de familiae consuetudinibus instructae, clam subrepserunt, vi etiam adhibita, si casus ferebat, praesertim in absentia indultariorum, in oratorium aut ad sacra vasa diripienda, aut, quod est maxime horrendum, cum diabolica intentione profanandi ipsas SS. Species ob infensissimum odium in ipsum Dominum Nostrum Iesum Christum!

Ad haec horribilia prorsus praecavenda sedulissime est inquirendum in singulis casibus, quando agitur de hoc indulto implorando, de situ domus, ubi SS. Sacramentum asservatur, utrum nempe haec ruri aut in urbe vel pago exstructa sit, de personarum notitia, quae famulatus causa eandem incolunt aut frequentant, nempe ne sint acatholicis sectis aut societatibus atheisticis et ab Ecclesia damnatis adscriptae aut earundem asseclae; atque cavendum est ut domus nunquam sine custodia linquatur et, si indultarii ab eadem discendant aliquandiu alibi commoraturi, SS. Species consumentur.

Quot sunt praestandae cautiones ex hac parte ut omnimodae securitati atque decori SS. Eucharistiae provide definiteque consulatur!

12. Cum vero res ita sit, ad abusus quoslibet praecavendos, aut prorsus convellendos si fuerint inoliti, Instructio (n. 5) onus imponit Ordinariis locorum per se vel per aliam ecclesiasticam personam frequenter invisendi privata oratoria, quae indulto gaudent asservandi SS. Eucharistiam atque inspiciendi num omnia procedant ad normam Indulti Apostolici, scil. si omnes clausulae eidem insertae accurate observentur una cum legibus liturgicis et canonicis, quibus subest apostolicum privilegium. Si quae vero colligantur in tali visitatione, quae aut securitati aut congruo decori et reverentiae SS. Sacramenti repugnet, Ordinarii facultate pollent ea actutum amovendi mediis adhibitis magis congruentibus ab eorum prudenti arbitrio determinandis; quae vero media in gravioribus casibus pervenire queunt usque ad revocationem utriusque indulti, servandi nempe SS. Species et habendi domesticum sacellum. Adversus hanc Ordinarii agendi rationem datur indultario tantum recursus *in devolutivo* ad Apostolicam Sedem, scil. ad S. Congregationem de Sacramentis: quapropter interim indultarius Ordinarii statutum exsequi tenetur et, si gravatum ab eodem se sentiat, poterit quidem ad Summum Pontificem per eandem S. C. recurrere traditis recursus rationibus.

Naviter sapienterque haec praescripta sunt ad quamlibet iniuriam aut irreverentiam avertendam a sacratissimo Eucharistiae Sacramento, quo nihil est sanctius sive in coelo sive in terra pari adoratione colendum. Quodsi mundi homines thesauros suos recondere student in tutissimis arcis et continua vigilantissima custodia diu noctuque communiunt ad eos protegendos a temeritate et calliditate furum, eo magis Ecclesia istum immensum ac praestantissimum prae omnibus thesauris, cunctis collatis congruis mediis pro illius arctissima custodia tutari debet a qualibet iniuria, seu probro, eiusque cultui ac debitae religioni efficaciter omnimode consulere.

Conclusio

Instructionis commentarium absolventibus nobis sequentia demum supersunt memoria digna animadvertenda. Instructio antequam ederetur proposita fuerat diligenti examini Purpuratorum Patrum in Plenariis Comitiis habitis die 26 m. martii 1949, qui, sedulo omnibus et singulis rimatis praescriptionibus eiusdem, censuerunt publici iuris eam esse faciendam, si ita Sanctissimo placuisset.

Sanctissimus autem D. N. Pius Papa XII, Quem Deus diutissime sospitet, Em.morum Cardinalium voto libenter adhaerens, Instructionem « *certa scientia et matura deliberatione approbare et Apostolica Auctoritate munire dignatus est, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus atque mandavit ut Instructio eadem in* Actorum Apostolicae Sedis commentario Officiali *ederetur, ab omnibus sacerdotibus et fidelibus latini ritus sedulo et religiose servanda* ».

Uti proinde ex relatis verbis clare eruitur, de comprobato stylo Curiae, Instructio a Sanctitate Sua fuit adprobata non in generica, bene quidem *in specifica forma*, quae ideo vim verae et propriae legis est assecuta tamquam si *Motu Proprio* Summi Pontificis emanata fuerit, eique nullus, nisi ipse Romanus Pontifex, ullimode potest derogare.

Insuper Eadem Sanctitas Sua Sacrae Congregationis de Sacramentis praecipere non dedignavit ut Instructionis exemplaria mitterentur ad SS. Congregationes Sodalium Religiosorum atque de Propaganda Fide pro fideli illius observantia, congrua congruis referendo, ex parte earundem presbyterorum atque fidelium latini ritus.

C. Zerba

II

DECRETUM

RELATIO DE CONFIRMATIONE NON AMPLIUS MITTENDA

Equidem sat cognitum est de praescripto n. 9 Decreti « *Spiritus Sancti munera* », quod inscribitur « *De confirmatione administranda iis, qui ex gravi morbo in mortis periculo sunt constituti* », die 14 m. Septembris anni 1946 editi ab hac S. Congregatione (*A. A. S.* a. et vol. XXXVIII, pag. 349 seq.), locorum Ordinarios officio teneri quolibet anno *Relationem* mittendi ad eandem S. Congregationem de numero confirmatorum, necnon de ratione a ministris extraordinariis suae dioecesis in tam praeclaro munere perfungendo adhibita.

Porro exacto iam decennio a prodito Decreto, huic S. Dicasterio visum est, facto verbo cum Sanctissimo, eosdem Ordinarios, inde a labente anno 1957 et iugiter deinceps, liberare obligatione praefatam *Relationem* mittendi, quum ex relationibus intra decursum decennium heic receptis satis compertum fuerit sacramentum Confirmationis fuisse rite collatum diligenter servatis eiusdem Decreti praescriptionibus.

Ceterum iidem locorum Ordinarii enixe curare pergant ut in sua cuiusque dioecesi ministri extraordinarii huius sacramenti, sollertia pari cum navitate eius collationi incumbant praecavendo ne Confirmatio periculo nullitatis exponatur neve probro et irreverentia quomodolibet afficiatur.

Quodsi abusus aliquis irrepat, ad eum illico convellendum, quatenus opus sit, hanc S. Congregationem adire ne omittant.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem S. Congregationis, die 1 m. Iulii anni 1957.

+ B. Card. Aloisi Masella, Ep. Praenestinus, *Praefectus*
L. + S.

F. Bracci, *Secretarius*

(*A.A.S.*, vol. 49, p. 943).

ADNOTATIONES

1. Valde sane praestare arbitramur ut praescriptum Apostolici Decreti supra relati, nuper a S. Congregatione de Sacramentis editi cum Sanctissimi approbatione et in « *Actorum Commentario Officiali Apostolicae Sedis* » memorato loco inserti, silentio non praetereatur, immo late innotescat ita ut eius notitia ad locorum Ordinarios, quorum specialiter refert, perveniat, unde hi inde a labente anno et in posterum, uti statutum est, abstineant a mittenda ad eandem S. Congregationem *Relatione* imperata sub n. 9 praecedentis Decreti « *Spiritus Sancti munera* », diei 14 m. Septembris 1946 promulgati, ne inutilem temporis iacturam operentur.

Hanc occasionem nacti benevolos lectores nostrae ephemeridis intructos volumus nonnullis notitiis de altero sane provido et magni ponderis inde a decennio prodito Decreto, quod novam disciplinam de confirmatione conferenda fidelibus, qui ex morbo in periculo mortis constituti sunt, primo tunc pro universa catholica Ecclesia valituram digessit cum consequenti animarum notabili spirituali incremento ob praeclara sane Sancti Paracliti dona eis tributa.

2. Profecto non erit abs re recolere Decretum « *Spiritus Sancti munera* » feliciter absolvisse vota iamdiu praeterito tempore, et ab AA. occasione Codificationis canonici iuris expressa, et ab Episcopis ipsis pro animarum bono, nempe ut suppeditaretur practicum remedium christifidelibus nondum confirmatis, in vitae discrimine ex infirmitate adductis, confirmationem recipiendi ne forte, Episcopo absente, sine ipsa morerentur. Cotidiana etenim experientia constabat quam plurimos, pueros et adultos, e vita decedere quin hoc sacramento, quo Spiritus Sancti plenitudo confertur, reficerentur; pueros utpote magis morti obnoxios, qui quandoque morte intercipiuntur aut ipsa infantili aetate aut antequam ad annos discretionis perveniant, quando ipsi sollemniter, uti assolet, confirmantur (can. 788 C. I. C.); adultos vero non paucos, ex morbo pariter in periculo mortis positos, qui hoc sacramentum sive in puerili aetate sive deinceps, qualibet ex causa, suscipere non potuerunt: isti vero et illi in adiunctis reperiebantur, quibus ob absentiam Episcopi opportunitas non dabatur Confirmationem suscipiendi, cum facilis non pateret accessus aut Episcopi ad infirmum confirmandum aut infirmi ad Episcopum confirmaturum.

Si ex una parte verum est hoc sacramentum non esse de necessitate medii ad salutem (can. 787), ac proinde fideles de hac vita non confirmatos migrantes aeternam gloriam adipisci, si in

statu gratiae inveniantur; ex altera tamen, prout doctrina catholica proclamat, certum est, hoc sacramento refectos decedentes maiorem gloriae gradum assequi in coelis (S. Thomas, p. III, q. 72, art. 8). Haec doctrina revocatur in cit. can. 788, quod ad pueros attinet; sed analoga ratio decertare dicenda est et pro adultis, in mortis discrimine constitutis, quin in iuvenili aetate, quandoque absque eorum culpa, Confirmationem recipere valuissent, quibus proinde, saltem hisce in adiunctis, visum est opportunitatem exhibere sacramentum Spiritus Sancti suscipiendi.

Necessitate proinde ac fidelium bono id postulante in memorato mortis periculo, Apostolicae Sedi derogare placuit praescripto iuris communis quod attinet ad personam *unici ministri ordinarii* Confirmationis, qui est Episcopus (can. 782 § 1), cui hactenus reservata manebat eius collatio; ac per Decretum « *Spiritus Sancti munera* », facultatem conferre quibusdam simplicibus sacerdotibus, taxative statutis, tamquam ministris extraordinariis (can. 782 § 2), confirmandi tum pueros tum adultos in casibus tamen et sub conditionibus in eodem Decreto constitutis (I, n. 1).

3. Quo vero tutius hi extraordinarii ministri in suo pernobili munere exercendo procedere possent, ad mentem Decreti, quod profecto novam et sat implexam Confirmationis conferendae disciplinam primitus invectam difficultatum non expertem continet, naviter adminiculatae praescriptiones perhibitae fuerunt, quibus sacramenti huiusmodi tum validae tum licitae administrationi consuleretur, servatis in ceteris disciplina per Codicem I. C. inducta atque ritu in Rituali Romano exarato ipsique Decreto adiectis, adeo ut congrua sollemnitate et debito decore in illa impertienda praefati ministri veluti manuduci valerent.

Mirum non est igitur si Sacra Congregatio de Sacramentis, ut comperiret num praescriptiones cunctae Decreto insertae rite et religiose ad exsecutionem traducerentur, locorum Ordinariis onus imposuit quotannis, a die prima mensis ianuarii 1947, *Relationem* de numero confirmatorum et de ratione adhibita a memoratis ministris in Confirmatione conferenda ad se mittendi, a qua *Relatione* post nuper exactum decennium, scil. inde ab exspirato anno 1957 et postea in perpetuum, eosdem Ordinarios dispensare constituit per novum relatum Decretum.

Onus huius Relationis mittendae hisce verbis praecipiebatur sub n. 9 Decreti « *Spiritus Sancti munera* »: « *...Ordinarii loci officium est ut quolibet anno, sub initio anni proxime insequentis, Relationem mittendi ad hanc S. Congregationem de numero con-*

firmatorum necnon de ratione a ministris extraordinariis suae dicionis in tam praeclaro munere perfungendo adhibita ».

Ubi est sedulo adnotandum praefatam *Relationem* esse apprime distinguendam ab altera relatione, seu melius « *nuncio* », ita nuncupato in Decreto eodem (n. 7), scripto exarando, quem iidem ministri mittere iubentur ad proprium Ordinarium quoties Confirmationem conferant, qui ita praecipitur: « *ministri extraordinarii tenentur... singulis vicibus* (quoties nempe sacramentum administrant) *statim ad Ordinarium dioecesanum proprium authenticum nuncium mittere collatae a se Confirmationis, additis adiunctis omnibus in casu concurrentibus* ».

Equidem ista posterior relatio inservire debebat priori conficiendae deferendaeque sub finem cuiusque anni ad S. Congregationem de Sacramentis.

Proinde si Ordinarii locorum nunc et in posterum a prima *Relatione* transmittenda eximuntur, nullo modo ab altera relatione, seu authentico nuntio exhibendo proprio Ordinario, dispensantur praefati ministri extraordinarii.

Ratio vero cur istud onus in suo robore adhuc perseverare voluit S. Congregatio evidens est: curam enim permanentem imponere statuit eadem S. Congregatio loci Ordinariis invigilandi ne abusus et incommoda subrepant in administratione huius sacramenti et ut disciplina ad rem digesta integre et convenienter iugiter servetur.

Heic id est igitur expresse et diserte animadvertendum, damnosae ambiguitatis vitandae causa, binas scil. relationes ad invicem esse distinguendas, quippe quae sint reapse distinctae atque diversae: priori igitur nunc abolita, posterior adhuc in suo vigore incolumis perseveret necesse est.

4. Equidem prudenter egisse dicenda est S. Congregatio de Sacramentis iniungendo Ordinariis ut ad se mitterent quotannis *Relationem* memoratam; magnopere enim sua intererat agnoscere utrum omnia ad normam canonici noviter conditi iuris recto ordine in collatione Confirmationis peragerentur et periculum arceretur invalide et illicite conferendi sacramentum aut absque congruo honore debitaque reverentia.

Profecto agebatur, uti innuimus, de canonica disciplina primo tunc proposita per memoratum Decretum a. 1946 promulgatum, quae notabiliter commune ius immutavit Codicis I. C. Disciplina illa praeceptorum multiplicitatem inducebat, quibus Confirmatio subesset oporteret, et praecepta huiusmodi afficiebant in primis *ministrorum personas*, qui tunc pro toto catholico orbe,

licet quibusdam sub limitibus, primo ad sacramentum illud conferendum admittebantur (quae quidem valde notabilis haberi debet innovatio), dum antea sacramentum idem, eius dignitate inspecta, Episcopis erat reservatum, paucis exceptis casibus; sed praescriptiones traditae extendebantur ad *materiam, formam* et *ritum ipsum sacramenti;* ad *personas fidelium,* quae subiectum erant sacramenti; *ad peculiaria adiuncta* in quibus tum fideles tum administri extraordinarii reperiri debebant ut valide et licite recipere ac conferre possent sacramentum; *ad territorium ipsum,* diligenter circumscriptum, in quo confirmandos commorari opus erat ut habiles fierent sacramento suscipiendo.

Quanta igitur sapientia permota fuerit eadem S. Congregatio in praefata *Relatione* imperanda comprobatur ex numero sane conspicuo quaestionum ac difficultatum, quibus intra primum elapsum decennium praesertim vero primo anno post eius publicationem, disciplina Decreti in sui applicatione obvia fuit et quarum resolutioni opem suam contulit eadem S. Congregatio.

Quamvis enim perspicuis verbis ista exarare studuisset singulas Decreti normas, attamen a receptis Relationibus compertum est sat abunde fuisse disputatum a Doctoribus et a presbyteris in contionibus ad rem per Episcopos coadunatis ut Decretum enuclearetur et explicaretur antequam ad practicam exsecutionem quiverint demandare. In casibus non paucis S. Congregatio germanam Decreti disciplinam revocare quodammodo compulsa est carpendo falsas aut ineptas interpretationes alicubi propositas orthodoxam Decreti perhibendo exegesim. Praecipuam vero controversiam resolvere debuit, nempe rite determinando quando valide et licite et quando valide sed illicite ministri extraordinarii agere valerent in Confirmatione tradenda in concursu cum Episcopo, licet titulari tantum, in loco commorantis aut nullo impedimento detenti aut prohibiti ex gravi incommodo quominus illam per se administraret.

Resolutis igitur quaestionibus huiusmodi dubitationibusque omnibus ad se diluendis propositis, S. Congregatio expleto primo decennio ab edito Decreto, atque disciplinae veritate vindicata eamque ad pacificam exsecutionem iam deductam cernens, opportunum duxit Episcopos exonerare ab obligatione ad se *Relationem* praeceptam amplius transmittendi, quae interea inutilis ac superflua evaserat ad finem intentum; satis enim innotuerat Confirmationem ad mentem Decreti rite ubique, prout agnoscere datum erat, conferri normasque ipsius omnes ad rem praestitutas adamussim servari.

5. Monitum tamen est probe attendendum, quod Decreto supra relato insertum fuit Ordinariorum locorum observantiae propositum, iuxta quod onus ipsis remanet curandi ut in sua cuiusque dioecesi ministri extraordinarii naviter et sollerter Sacramentum istud conferre pergant in adiunctis a Decreto constitutis, adeo ut dum maiori animarum spirituali profectui consulerent, periculum tamen perperam agendi, seu nulliter Confirmationem ministrandi, averterent illudque debito cum honore ac religione administrarent.

Unus excipitur casus in quo iidem Ordinarii iterum ad S. Congregationem recurrere tenentur, quando nempe forte abusus aliquis aut grave incommodum suboriatur, ad quod depellendum diversimode Ordinarii ipsi per se inhabiles reperiantur. Sacrae proinde Congregationis interventus huic necessitati aptius prospiceret ut omnia impedimenta efficaciter amoveat rectaeque consulat Sacramenti collationi ad salutares effectus gignendos, quibus obtinendis providum Decretum de peculiari benignitate Summi Pontificis Pii XII fel. regn., Quem Deus diutissime sospitet, conditum est.

CAESAR ZERBA

SACRA RITUUM CONGREGATIO

DECRETUM

URBIS ET ORBIS

(de tabernaculo ad asservandam SS. Eucharistiam)

Sanctissimam Eucharistiam maximo cum decore asservare sedula ac vigilanti cura semper studuit sancta Mater Ecclesia. Haec tamen sollicitudo diversimode per saecula in rem deducta est. Exinde percrebrescens in dies Eucharistica fidelium pietas, locum, ubi Dominicum asservatur Corpus, florescentis christianae vitae centrum effecit.

Ad praecavendos vero abusus, et ut omnia secundum ordinem fierent, nonnulla documenta, decreta aut leges competens Auctoritas pluries emanavit, quibus locus, forma, usus Eucharitsiae asservandae determinarentur. Quae omnia Codex Iuris Canonici ita colligit et exprimit: Can. 1268, § 2: « Sanctissima Eucharistia custodiatur in praecellentissimo ac nobilissimo Ecclesiae loco, ac proinde regulariter in altari maiore ». Can. 1269, § 1: « Sanctissima Eucharistia servari debet in tabernaculo inamovibili in media parte altaris posito ».

Novissime autem, Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. XII, in sermone ad eos qui Congressui Internationali liturgiae pastoralis Assisii interfuerunt, die 22 Septembris an. 1956 habito [1], potiora quaedam capita circa doctrinam et praxim Ecclesiae de reali praesentia Christi Domini in tabernaculo lucide exposuit, modernos quosdam errores reppulit, et pietatis exercitia erga Eucaristicum Sacramentum in tabernaculis asservatum, iuxta probatam Ecclesiae traditionem summopere commendavit.

His prae oculis habitis, Sacra haec Rituum Congregatio, vi facultatum sibi a Ss.mo D. N. Pio divina Providentia Papa XII tributarum, haec decrevit:

1. Normae a Codice Iuris Canonici circa Ss. Eucharistiam asservandam statutae (Cann. 1268, 1269) sancte religioseque servandae sunt; nec omittant locorum Ordinarii de hac re sedulo invigilare.

2. Tabernaculum adeo firmiter cum altari coniungatur, ut inamovibile fiat. Regulariter in altari maiore collocetur, nisi aliud venerationi et cultui tanti sacramenti commodius et decentius videa-

[1] Cfr. *A. A. S.*, vol. XXXXVIII, pag. 711 ss.

tur, id quod ordinarie contingit in ecclesiis cathedralibus, collegiatis aut conventualibus, in quibus functiones chorales peragi solent; vel aliquando in maioribus sanctuariis, ne propter peculiarem fidelium devotionem erga obiectum veneratum, summus latriae cultus Ss.mo Sacramento debitus obnubiletur.

3. In altari ubi Ss.ma Eucharistia asservatur, habitualiter Sacrificium Missae celebrandum est.

4. In ecclesiis, ubi unicum exstat altare, hoc nequit ita aedificari, ut sacerdos celebret populum versus; sed super ipsum altare, in medio, poni debet tabernaculum ad asservandam Ss.mam Eucharistiam, ad normam legum liturgicarum constructum, forma et mensura tanto Sacarmento omnino dignum.

5. Tabernaculum sit undequaque solide clausum, et adeo in omni sua parte securum, ut quodvis profanationis periculum arceatur.

6. Tabernaculum, tempore quo sacrae species in ipso asservantur, conopaeo sit coopertum ac, iuxta ecclesiae antiquam traditionem, lumen perenne ante ipsum ardeat.

7. Tabernaculum, quoad formam, stilo altaris et ecclesiae conveniat; ab illis in usu hucusque receptis haud nimis discrepet; non reducatur ad speciem simplicis capsae, sed verum habitaculum Dei cum hominibus quodammodo repraesentet; non ornetur symbolis vel figuris inusitatis, vel quae fidelium admirationem moveant, vel erronee interpretari possint, vel quae relationem ad Ss.mum Sacramentum non habeant.

8. Districte vetantur tabernacula eucharistica extra ipsum altare posita, ex. gr. in pariete, aut ad latus, vel retro altare, aut in aediculis seu columnis ab altare separatis.

9. Contraria consuetudo, sive quoad modum Eucharistiam asservandi, sive quoad formam tabernaculi, praesumi nequit, nisi agatur de consuetudine centenaria vel immemorabili (cf. Can. 62, § 2), uti ex. gr. in casu quorundam tabernaculorum ad modum turris vel aediculae aedificatorum. Hae tamen formae reproduci nequeunt.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Romae, 1 Iunii 1957.

C. Card. Cicognani, *Praefectus*

L. + S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *a Secretis*

(*A.A.S.*, vol. 49, pp. 425-426).

ADNOTATIONES

Decretum de quo agitur nonnullos excitavit metus [1], sed studiosa animadversio in verba nobis clare praebebit et vim verborum.

In primis notandum est duplex esse argumentum, id est quando convenit vel non altare versus populum aedificare, et qualis esse debet forma, locus nexusque tabernaculi cum altari. Quod novissimum argumentum cum allocutione Summi Pontificis ad eos qui conventui internationali de Liturgia pastorali Assisii habito interfuerunt, conferendum est, nec non integrum reddere cum brevi conspectu historico-theologico de cultu eucharistico.

Qui favebant antiquae consuetudini asservandi Eucharistiam extra altare majus suam sententiam confirmabant ritibus et testimoniis ante annum millesimum post Christum natum [2].

Attamen in memoriam revocandum est eo ipso tempore novam aetatem cultus eucharistici exortam esse. Contra haeresim Berengarii realem Christi praesentiam in Eucharistia negantis initium habuerunt ritus qui cultum et devotionem in Ss.mum Sacramentum exprimerent: genuflexio et elevatio sacrarum specierum post consecrationem in Missa habitam; sollemnis expositio Eucharistiae; processio et Officium Corporis Christi; quibus addenda sunt percrebra miracula (Ferrariae 1171, Volsiniae 1264, etc.). Qua de re Eucharistia in columbis argenteis vel aureis supra altare ex ciborio appensis, asservari coepit.

Quinque saeculis elapsis contra novitates haeresis luteranae obiiciuntur Precatio eucharistica vulgo dicta XL horarum (1527), Decreta synodalia Johannis M. Giberti episcopi veronensis († 1543), Canones Concilii tridentini (1563), Constitutiones synodales provinciarum ecclesiasticarum Tolosae (1590) et Constantiae (1069), Editio typica Ritualis romani (1614); quae omnia tabernaculum eucharisticum super altare asservandi morem induxerunt et amplificaverunt.

Postea sacra rituum Congregatio conatus diffregit novas inducendi formas, atque Codex juris canonici [3] ut tabernaculum es-

---

[1] L. Bartoli, Un nuovo decreto circa il tabernacolo e l'altare rivolto verso il popolo: Palestra del Clero 36 (1957), 897-900; Idem: Perfice munus! 32 (1957), 557-59.

[2] M. Righetti, Storia liturgica, 2 ed. 1 (Milano, 1950), 426-28; cfr. 3 (1956), 528-50. Brevius scripsit D. Balboni, L'altare del « Sepolcro »: Rivista liturgica 43 (1956), 18-31.

[3] Can. 1269, § 1.

set inamovibile et in media altaris parte positum praecepit. Denique eadem Congregatio anno 1938 novissimum dedit decretum ut digne ac convenienter Eucharistia asservaretur [4].

Quibus legibus Apostolica Sedes in animo habuit Ss.mo altaris Sacramento cultum legitimum et honorificum *praebere,* nobiliorem ecclesiae locum eligens et cum ara sacrifici relationem perspicuam reddere [5]

Progressus vero pietatis eucharisticae suam habuit evolutionem historicam, sicut clare Summus Pontifex dixit: « On pourrait aussi souligner l'attitude de l'Eglise à l'égard de certaines pratiques de piété: les visites au Saint-Sacrement, qu'elle recommande vivement, la prière des quarante heures ou « adoration perpétuelle », l'heure sainte, le transport solennel de la Communion aux malades, les processions du Saint-Sacrement. Le liturgiste le plus enthousiaste et le plus convaincu doit pouvoir comprendre et deviner ce que représente le Seigneur au tabernacle pour les fideles profondément pieux, que ce soient des gens simples ou instruits. Il est leur conseiller, leur consolateur, leur force, leur recours, leur espérance dans la vie comme dans la mort. Non content de laisser venir les fidèles vers le Seigneur au Tabernacle, le mouvement liturgique s'efforcera donc de les attirer toujours davantage... L'essentiel est d'avoir compris que c'est le même Seigneur, qui est présent sur l'autel et au tabernacle » [6].

I. De situ altaris.

Timidi, a decreto de altaris orientatione excitati, omnem progressum liturgicum festinanter ruere arbitrabantur: revera ritus versus populum celebrandi maiori inter sacerdotes et fideles favebant unitati, et non tantum psychologice! Attamen haec consuetudo omnino connumeranda est inter novitates. In Urbe praesertim, et in pervetustis basilicis multarum urbium altaria versus populum adhuc videntur sicuti praevisum est in Caeremoniali episcoporum (I, 12, 11), et in Missali romano (Ritus servandus V, 3).

Quae consuetudo perquirenda est in symbolismo orientationis in preces fundendo [7]. Christiani judaizantes Jerusalem versus ora-

[4] Acta Apostolicae Sedis 30 (1938), 198-207.

[5] F. Romita, Commentaire [à l'Allocutio Pii XII iis qui conventui internationali de Liturgia pastorali, Assisii habito, interfuerunt]: Monitor ecclesiasticus 82 (1957), 21-50; cfr. 45-46.

[6] Monitor ecclesiasticus 82 (1957), 19.

[7] E. Peterson, La croce e la preghiera verso oriente: Ephemerides liturgicae, 59 (1945), 52-68.

bant; ethnico-christiani versus orientalem partem, sicuti scriptum est in Evangelio: sicut enim fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, ita erit et adventus Filii hominis » (Mt. 24, 27).

In missa quidem didactica nexus inter sacerdotem-doctorem et fideles-discipulos perspicuus effulget.

Attamen decretum respicit tantum ecclesias in quibus unicum extat altare, quod rarum est in ecclesiis paroecialibus vel in templis quae sanctuaria dicuntur. Quod concordat cum verbis Summi Pontificis: La manière dont on pourrait placer le tabernacle sur l'autel sans empêcher la célébration face au peuple, peut recevoir diverses solutions, sur lesquelles les spécialistes donneront leur avis »[8].

II. De tabernaculo.

Majoris momenti sunt quae de tabernaculo dicuntur. Antea evolutionem historicam devotionis eucharisticae pietatis exercitia foventis, exposuimus, nunc autem vigentem legislationem praebemus:

1. *Caeremoniale episcoporum... Benedicti XIV et Leonis XIII auctoritate recognitum* (I, 12, 8) praecipit quod si in altari in quo (ab episcopo) celebrandum erit (Ss. Eucharistiae sacramentum) collocatum reperiatur ab eo altari in aliud omnino transferendum est ne propterea situs et ordo caeremoniarum... turbetur », quod habetur cum Eucharistia asservatur in altari.

2. *Missale romanum a Pio X reformatum* (Ritus servandus II, 2 et III, 1) statuit quod « si in altari sit tabernaculum sanctissimi Sacramenti, in celebratione missae capitis inclinationibus genuflexiones substituuntur ».

3. *Codex juris canonici* praescribit quod ss.mam Eucharistiam in uno altari asservetur, positam « in praecellentissimo ac nobilissimo ecclesiae loco ac proinde regulariter in altari maiore, nisi aliud venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius et decentius videatur » (can. 1268, § 2); praeterea « sit prae omnibus aliis ornatum, ita ut suo ipso apparatu magis moveat fidelium pietatem ac devotionem » (can. 1268, § 4). Tabernaculum debet esse inamovibile, positum in media parte altaris; affabre exstructum, undequaque solide clausum, decenter ornatum (can. 1269 § 1-2).

4. *Rituale romanum Pii XII auctoritate recognitum* (V, 1, 5-6) mandat ut pyxis eucharistica asservetur in tabernaculo inamovibili, in media parte altaris posito, et clave observato. Hoc autem

[8] Monitor ecclesiasticus, l. c.

tabernaculum, conopaeo decenter coopertum, atque ab omni alia re vacuum, in altari majori vel in alio quod venerationi et cultui sancti Sacramenti commodius ac decentius videatur, sit collocatum... Coram eo una saltem lampas diu noctuque continenter luceat ».

* * *

Post tantam praescriptionum, decretorum, et canonum copiam superfluum videretur novissimum decretum, at contra hoc novas habet decisiones quas partim exponere volumus.

Par. 2 opportune praecipit tum in ecclesiis cathedralibus, tum in illis quae sanctuaria vocantur, Ss.mum Eucharistiae Sacramentum custodiatur extra altare maius « ne propter peculiarem fidelium devotionem erga obiectum veneratum summus latriae cultus Ss.mo Sacramento debitus obnubiletur ». Quod impune evenit nemine fidelium pietatem corrigente; propter quod non valde exprobrandi sunt artistae, si sacralitatem vel « finalitatem » ambitus templi nec percipere nec exprimere valeant.

Par. 3 quod huc illuc in usu est praecipit, id est consuetam Missae celebrationem in altari ubi Ss.ma Eucharistia asservatur.

Par. 4 clare vetatur altare versus populum, in ecclesiis tantum ubi hoc unicum extat, ut ibi veneretur Ss.mum Sacramentum.

Par. denique 8 vetantur tabernacula posita in locis ab altare separatis ut Ss.mae Eucharistiae facile praestetur obsequium adorationis.

Conclusio decreti agit de consuetudinibus non praesumendis nisi sint centenariis vel ab immemorabili, « sive quoad formam tabernaculi, sive quoad modum Eucharistiam asservandi ».

Nobis liceat — si esset necessarium — validitatem praescriptionum confirmare, quia et quoad formam et quoad materiam, non raro accidit ut vilitas materiae coniuncta sit cum inopia ornatus. Quae videntur magis ex defectu conceptuum quam inventionum varietate procedere [9].

D. Balboni

---

[9] Vide etiam quod scripserunt alii auctores: L. Renwart, S.R.C. Décret Urbis et Orbis « Sanctissimam Eucharistiam » du 1 juin 1957 sur le tabernacle [Texte et commentaire]: Nouvelle revue théologique 89 (1957), 857-64. M. Noirot, L'autel face au peuple et le tabernacle: Ami du Clergé 67 (1957), 552-55. A. B[ugnini], Commentarium [circa decretum Urbis et Orbis, De forma et usu tabernaculi]: Ephemerides liturgicae 71 (1957), 442-45.

JURISPRUDENTIA
SACRÆ ROMANÆ ROTÆ
ALIORUMQUE TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

SACRA ROMANA ROTA

I

Coram R. P. D. Joanne Maria Pinna, *Ponente*

NEAPOLITANA

Nullitatis Matrimonii

(*ob impedimentum criminis*)

Sententia definitiva diei 30 Aprilis 1957.

In Jure. - 2. - Jure Romano nuptiae cum muliere adultera nonnisi sub Justiniano declaratae sunt irritae (Novella 134, c. 11). Ecclesia Occidentalis comminabatur adulteris poenitentiam publicam, qua perdurante iis interdicebat matrimonio. Concilium Meldense (a. 845) vetuit nuptias inter adulterii complices, mortuo quoque coniuge innocente « sine ulla spe coniugii cum poenitentia perpetuo maneant » (c. 5 C. XXXI qu. 1): agebatur tamen de vetito, non autem de impedimento dirimente. Anno 895 Concilium Triburiense decrevit impedimentum dirimens ex adulterio cum promissione futuri matrimonii post coniugis innocentis mortem (c. 4 C. XXXI qu. 1). Dictum Gratiani ad c. 3 C. XXXI qu. 1 haec habet: « Hic subaudiendum est, nisi peracta post poenitentia et si ei nihil in morte viri machinatus fuerit, vel si vivente viro fidem adulterae non dedit, sumpturum eam sibi in coniugem, si viro eius superviveret ». Hinc duplex species impedimenti recensetur: machinatio mortis viri, fides data adulterae de futuro matrimonio. Clemens III induxit impedimentum *ex adulterio* cum attentatione matrimonii (c. 45, X, IV, 7). Animadvertit Glossa: « Nota quod nullus potest habere in matrimonium illam cui fidem dedit de ea ducenda post mortem uxoris, si eam cognovit uxore vivente... Item haec impedimenta impediunt et dirimunt matrimonium ». Coelestinus III adiecit *coniugicidium utroque machinante*, absque adulterio: (c. 1. X. III, 33): « si in mortem ipsorum malitiose fuerint machinatae, licet earum studio ad fidem accesserint, tamen nec eis adhaerere debent, nec sunt, si adhaeserint, etiam tolerandi ». Gregorius IX vero edixit (c. 1. X. IV. 7): « Si quis vivente uxore, fide data, promisit aliam se ducturum vel cum ipsa de facto contraxit, si *nec ante* nec post (legitima eius superstite) *cognovit eamdem;* quamvis utrique ipsorum: pro eo quod in hoc graviter deliquerint, sit poenitentia iniungenda, non est tamen matrimonium, quod cum ea contraxit, post uxoris obitum dirimen-

dum. Ceterum tolerari debet si prius vel postea dum vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluisset ».

Notat Bernardus Parmensis in Glossa ordinaria: « Sed si prius vel post, in utroque casu uxore sua vivente, eam cognovit, tale matrimonium tolerari non debet », seu sola promissio futuri matrimonii vel attentatio vivente uxore, non dirimit matrimonium, citra adulterium.

Quapropter post Gregorii IX Decretales quatuor species recensentur a Decretalistis impedimenti criminis: ex solo coniugicidio seu machinatione mortis coniugis, ex adulterio cum coniugicidio, ex adulterio cum attentatione matrimonii inter adulteros, ex adulterio cum promissione matrimonii. Ita Henricus di Segusio (Hostiensis) *Summa Aurea*, ed. Venetiis 1581 ad hoc tit. c. 8; Joannes Andreae, *Commentaria Novella*, ed. Venetiis 1581, ad c. 8 X. IV. 7; Goffredus de Trano, *Summa in Titulos Decretalium*, ed. Venetiis 1586, ad tit. 7. X. IV; Sinibaldus Fliscus, *In quinque Decretalium libros*, ed. Venetiis 1570, ad tit. 7. X. IV; Henricus Boich, *In Quinque Decretalium libros Commentaria*, ed. Venetiis 1626 ad tit. 7. X. IV, c. 8; Antonius de Butro, *Commentarium in 5 Decretalium*, ed. Venetiis 1628 ad 8. 7. X. IV; Nicolaus de Tudeschis (Panormitanus), *Commentaria in Decretalium libros*, ed. Venetiis 1588 ad tit. 7. X. IV.

Quadruplex eiusmodi impedimenti species recepta est a Codice juris canonici, in can. 1075.

3. - Nostra interest, ad praesentem causam quod attinet, pressius perpendere impedimentum criminis ex adulterio cum promissione futuri matrimonii. Ratio impedimenti est « ut fidei matrimoniorum et coniugum incolumitati consuleretur, praecisa adulteris omni spe coniugii, quod promissum est, obtinendi, vel si illud de facto contractum jam est, stabiliendi » (ita Schmalzgrueber, *Jus Ecclesiasticum universum*, ed. Romae 1844, tom. IV, pars II tit. VII § 1, 1).

Requisita necessaria ut impedimentum oriatur inde a commentatoribus librorum Decretalium illustrantur. De essentia huius speciei impedimenti sunt: adulterium et promissio. Nihil refert utrum illud praecesserit vel subsequatur (Schmalzgrueber, o. c., n. 10), dummodo sit: a) *verum* quatenus vero seu valido matrimonio alteruter, tempore patrati sceleris, iunctum fuerit (Sanchez, *de sancto Matrimonio Sacramento*, l. VII, disp. 78, n. 20); b) *formale*, nempe utroque complice sciente alterum esse coniugatum (Schmalzgrueber, o. c., n. 10 sq.); quare, monebat Wernz, non haberetur formale adulterium si, licet uterque adulter coniugatus fuerit, alter ignoraret

alterius ligamen (*Jus Canonicum*, t. V, n. 327); c) *per copulam perfectam*, seu consummatum; aliter sentiebat A. Reiffenstuel (*Jus Canonicum Universum*, ed. Venetiis 1726, tom. IV, tit. 7, n. 12), sed contraria sententia communis facta est; re quidem vera, animadvertebat Schmalzgrueber: « leges poenales stricte accipiendae sunt, atque in sensu proprio, in quo acceptum adulterium non significat id quod attentatum solummodo, sed quod perfectum et consummatum est » (o. c., n. 14).

Quod ad *promissionem* omnes consentiebant debere esse a) *puram et absolutam* (contra Sanchez, l. c. disp. 79, n. 12); b) *externe manifestatam*, c) *non fictam*, d) *a complice acceptatam*, superstite legitimo alterutrius coniuge et durante eodem matrimonio (Schmalzgrueber, o. c., n. 18-22); e) *non revocatam* ante consummatum adulterium (Sanchez, o. c., n. 7-34; Schmalzgrueber, o. c., n. 12).

Disputabatur an praeter promissionem unius requireretur *repromissio* alterius complicis in crimine adulterii. Quidam affirmabant, ea ratione innixi quod uterque debet reus esse delicti; atqui delictum cessat si alter audita promissione, non repromittat. Alii tenebant promissionem unius satis esse, dummodo haec fuerit a complice acceptata, quia absque acceptatione vix intelligitur fides data de qua jura loquuntur. Ita Schmalzgrueber, o. c., n. 29-30; Sanchez, o. c., disp. 79, n. 19-20; Reiffenstuel o. c., n. 16 sq., qui tamen exigebat *expressam* acceptationem « quia acceptatio est in eius praejudicium, utpote causans impedimentum; ubi autem taciturnitas est in damnum tacentis, tacens consentire non censetur ».

4. - Post Codicem J. C., tum doctores omnes requisita praefata recipiunt, atque conveniunt necessariam esse promissionem ab uno complice factam et *repromissionem* ex parte alterius, quia can. 1075 explicite loquitur de fide sibi mutuo data (cfr. Cappello, *De Matrimonio*, n. 481 sq.; Wernz-Vidal, o. c., n. 327 sq.; Gasparri, *De Matrimonio*, ed. 1932 n. 672, sq.; Chelodi, *Jus Matrimoniale*, n. 93, etc.); tum jurisprudentia N. S. Ordinis (cfr. Coram Florczak, N. M., diei 31 junii 1924, S. R. R. Dec., vol. XVI, p. 176; c. Florczak, N. M., diei 4 aug. 1925, S. R. R. Dec.; vol. XVII, p. 330; c. Grazioli, N. M. diei 21 jan. 1928 S. R. R. Dec., vol. XX, p. 28; c. Wynen. N. M. diei 11 aug. 1928 S. R. R. Dec., vol. XX p. 404; c. Jullien, N. M. diei 14 martii 1934 S. R. R. Dec., vol. XXVII, p. 104; c. Teodori, N. M. diei 24 febr. 1939, S. R. R. Dec., vol. XXX, p. 122 sq.).

Monent passim Rotales Decisiones ex coitu semper praesumi copulam perfectam, licet haud secuta sit conceptio et procreatio prolis (cfr. coram Jullien, sent. cit. p. 104; c. Grazioli, N. M. diei 16 apr. 1935 S. R. R. Dec. vol. XXVII, p. 263); eamque simul cum promis-

sione occurrere debere eodem legitimo matrimonio perdurante; nam si constante matrimonio fides detur, eodem autem soluto copula habeatur, deesset adulterium; sin vero, versa vice, mutua intercesserit promissio, soluto matrimonio, inter eos qui adulterium patraverant alterutro complice adhuc detento ligamine ratio impedimenti cessaret (cfr. c. Grazioli, N. M. sent. et vol. cit. p. 262).

Promissio, praeterea, libera esse debet, non metu extorta, vel fraude aut dolo (c. Grazioli, N. M. diei 16 apr. 1935, S. R. R. Decr., vol. cit., p. 262; c. Wynen, N. M. 16 julii 1945 S. R. R. Dec., vol. XXXVII, p. 498). Disputatur utrum necesse sit quod respiciat matrimonium religiosum contrahendum post coniugis innocentis obitum an sufficiat fides data de matrimonio ineundo mere civili. Jurisprudentia N. S. Auditorii tenet primam speciem impedimenti i. e. adulterium cum promissione respicere matrimonium validum, seu religiosum, alteram vero, i. e. adulterium cum attentatione explicitis verbis determinari a Codice J. C.: « vel ipsum matrimonium etiam per civilem tantum actum attentarunt ».

Hinc sola caerimoniae civilis promissio « non sufficit ut adulteri arceantur a valido matrimonio inter se contrahendo. Id tamen nullatenus impedit quominus impedimentum criminis adsit, si praeter promissionem futuri matrimonii religiosi, habeatur insuper promissio caeremoniae civilis jam ante huic obitum interea peragendae » (c. Wynen, sent. cit., S. R. R. Dec., vol. XXXVII, p. 500) puta obtento civili divortio.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 30 aprilis 1957.

Joannes M. Pinna, *Ponens*
Raymundus Lamas
Aurelius Sabattani

II

Coram R. P. D. Emmanuele Bonet, *Ponente*

CONSTANTINOPOLITANA

Nullitatis Matrimonii

Incidentis: *de nullitate sententiae ac de recursibus actoris*

Decretum diei 18 Novembris 1957

1. Ardianus Descuffi, actor, libello supplici diei 3 novembris 1954 suum matrimonium cum Georgia Trinkha die 13 octobris 1935 celebratum nullitatis accusavit apud Tribunal Constantino-

politanum ob vim et metum et ob defectum veri consensus ex parte mulieris. — Tribunal Constantinopolitanum die 28 martii 1955 sententiam edidit quoad duplex caput sc. metus et exclusionis bonorum matrimonii, responsionem negativam utrique capiti dando.

2. Die 26 aprilis 1955 actor proposuit, coram judice qui sententiam tulit, querelam nullitatis eiusdem invocato canone 1894. Tribunal Constantinopolitanum die 4 maii 1955 Decretum edidit reiiciendo querelam propositam. A praedicto Decreto actor nullum recursum interposuit.

3. Actor postea adiit Tribunal appellationis Smyrnen. cui libellum exhibuit sub die 21 octobris 1955, ubi invocato art. 219 par. 2 Instructionis S. C. de disciplina Sacramentorum diei 15 augusti 1936, expetebat retractationem causae matrimonialis a Tribunali Constantinopolitano definitae eo quod nova ac gravia argumenta proponebantur. — Tribunal Smyrnen. ab Exc.mo Archiepiscopo constitutum « ad examinandam in appellatione causam matrimonialem Constantinopolitanam Descuffi-Trikha, necnon ad iudicandum novum processum in prima instantia cum novis factis et querelis... », causam pertractavit ac definivit uti in prima instantia, ex solo capite exclusionum trium bonorum matrimonii ideoque die 8 iunii 1956 sententiam edidit matrimonium irritum declarantem.

4. Ab hac sententia Defensor Vinculi Smyrnensis appellationem interposuit coram Tribunali Constantinopolitano, quod est semel pro semper electum tamquam Tribunal appellationis pro archidioecesi Smyrnensi. — Tribunal Constantinopolitanum decreto diei 13 novembris 1956 sese incompetens declaravit ad appellationem suscipiendam, fretus lege quod quodcumque tribunal nequit iterare suum iudicium circa eandem causam ex eodem capite.

5. Defensor Vinculi Smyrnensis ergo appellationem interposuit a Sententia Smyrnensi ad N. S. O. sub die 21 novembris 1956. Actor vero triplici libello diei 22 novembris 1956 triplicem interposuit appellationem apud S. R. Rotam, sc. adversus sententiam Constantinopolitanam diei 28 martii 1955, adversus Decretum Constantinopolitanum diei 13 novembris 1956 et adversus Decretum Constantinopolitanum diei 4 maii 1955.

6. Cum in casu conventa apostata sit a fide catholica, religioni enim mahometanae adhaesit, acta a N. S. O. remissa fuerunt ad S. C. S. Officii, quae die 9 aprilis 1957 communicavit Sacram Congregationem decrevisse causam remittendam esse ad S. R. Rotam ex commissione Sancti Officii.

7. Causae de statu personarum numquam transeunt in rem

iudicatam ideoque pro illis fatalia non constituunt termini appellationis; cum ergo duplex non habetur sententia conformis semper patet via appellationis pro qua minime requiruntur nova ac gravia argumenta de quibus in cann. 1903 et 1989.

8. Causarum vero retractatio, etiam ob nova et gravia argumenta, semper fieri debet, praevia quidem appellatione, apud Tribunal superioris instantiae ut aperte dixit Pontificia Commissio ad canones Codicis interpretandos die 16 iunii 1931, et legitur in art .218 par. 1 Instructionis S. C. de Sacr. diei 15 aug. 1936. Appellatio ergo a sententia edita in casu retractationis interponi debet apud tribunal superius tribunali quod causam retractavit.

9. Appellatio vero minime datur a sententia primi gradus, cum causa retractata fuit in altero iudicii gradu, exhausta enim fuit, appellatione retractationis, via appellandi a prima iudiciali decisione.

10. Querela nullitatis de qua agitur in can. 1895 cum agatur de sententia laborante vitio sanabilis nullitatis, proponi tantum potest inter terminos a praedicto canone 1895 statutos; hisce enim terminis elapsis ipso iure sanatur.

11. Inde distinguere oportet inter defectum legitimae citationis de quo in can. 1894, 1°, quo adstante sententia laborat vitio sanabilis nullitatis, et plenam ignorantiam processus ex parte conventi, qui penitus nescivit disceptationem iudicialem habitam, quo in casu sententia laboraret vitio insanabilis nullitatis, non quidem ex iure positivo sed ex iure naturali.

12. Causa vero de qua in praesenti agitur fuit apud Tribunal Constantinopolitanum deficiente quidem citatione mulieris conventae, sed eadem durante processu edocta fuit ad interveniendum in causa, quidem ope parochi, qui eam nomine Tribunalis adivit. Vitium ergo, si adfuit, fuit iuris tantum positivi, minime vero iuris naturalis. Reiecta ergo querela nullitatis, intra tempus utile proposita, apud Tribunal Constantinopolitanum, actori patebat, tunc temporis, recursus intra decem dies apud Tribunal superius. Cui recursui, sive elapso tempore, sive nova propositione causae apud Tribunal Smyrnen. renuntiavit, saltem implicite actor, qui nunc certo recurrendi ius amisit.

13. Sententia vero Constantinopolitana causam definivit ex duplice capite nempe ex capite metus mulieri incussi et ex capite defectus consensus ob exclusionem trium bonorum matrimonii, prout constat ex iis quae sive in iure, sive in facto, uti motiva decisionis proponuntur. - Patet ergo causam apud Tribunal Smyrnen. pertractatam fuisse in altero gradu, (iurisdictionis) quiquid dicant iudices Smyrnenses de sua competentia quoad retractatio-

nem causae uti in prima instantia. Cum vero apud Tribunal Smyrnen. caput metus propositum non sit, disceptatio et definitio in altero iurisdictionis gradu habita versatur, prout apparet ex sententia Smyrnensi, circa defectum consensus ob exclusionem trium bonorum matrimonii.

14. Datur proinde in casu duplex sententia difformis circa caput propositum de defectu consensus ob exclusionem trium bonorum matrimonii, quae a Tribunali secundi gradus exclusa dicuntur. A sententia ergo Smyrnensi datur appellatio ad Tribunal superius sc. ad Sacram Romanam Rotam.

15. Recte proinde Tribunal Constantinopolitanum suo Decreto diei 13 novembris 1956 reiecit appellationem a Vinculi Defensore Smyrnensi interpositam asserendo propriam incompetentiam ad iterum iudicandum de causa ab eodem Tribunali iam definita. Praeterea Tribunal Constantinopolitanum est Tribunal appellationis pro causis a Tribunali Smyrnensi in primo iudicii gradu pertractatis, minime vero pro causis quae a iudicibus Constantinopolitanis in prima instantia definitis, a iudicibus Smyrnensibus in iudicio appellationis definiuntur. Frustra ergo ab actore interponitur recursus adversus Decretum Constantinopolitanum diei 13 nov. 1956, qui praecedentibus habitis, a limine reiici debet.

16. Recte proinde Vinculi Defensor Smyrnensis tandem aliquando suam appellationem apud N. S. O. interposuit. - Qua appellatione interposita causa videri debet in tertio iurisdictionis gradu ideoque contestatio litis versari debet circa nullitatem matrimonii ex capite apud duo praecedentia tribunalia iam discusso.

17. Nec admitti potest nova appellatio, prout ab actore proponitur, quoad sententiam primi gradus, appellatio enim necessario datur a decisione gradus immediate inferioris.

18. Quibus ergo omnibus habitis Patres de Turno in sessione subsignata die habita

DECREVERUNT

a) admittendam esse appellationem interpositam a Vinculi Defensore Tribunalis Smyrnensis adversus sententiam illius Tribunalis diei 8 iunii 1956;

b) reiiciendam esse appellationem interpositam ab actore adversus sententiam Constantinopolitanam diei 28 martii 1955;

c) reiiciendum esse recursum ab actore interpositum adversus Decretum Tribunalis Constantinopolitani diei 4 maii 1955;

d) reiiciendum esse recursum ab actore interpositum adver-

sus Decretum Tribunalis Constantinopolitani diei 13 novembris 1956.

e) validas esse sententias tum a Tribunali Constantinopolitano, tum Smyrnensi, editas; ideoque causam pertractandam esse apud N. S. O. in tertio iurisdictionis gradu quoad capita exclusionis bonorum prolis, fidei et sacramenti, ex parte mulieris.

Romae, die 18 novembris 1957.

(sign.) Emmanuel Bonet, *Ponens*
Joannes Maria Pinna
Raymundus Lamas

III

Coram R. P. D. Pericle Felici, *Ponente*

Nullitatis matrimonii

(*ob defectum discretionis in viro affecto P. G.*)

Decisio diei 3 decembris 1957

(*Omissis*)

Facti adumbratio. - 1. - Vix unquam pacifica extitit vita coniugalis Adalberti et Elvirae, licet non unus filius ex cohabitatione procreatus esset. Duobus autem annis ex matrimonio transactis vir indubia signa infirmitatis mentalis dare coepit, quibus cum paulo post addita essent synthemata somatica (ictus epilepticus, inde hemiplegia sinistra), in nosocomium deduci debuit: ubi detecta est paralysis generalis progressiva ex contagione syphilitica. Hinc, inter varias remissiones, morbus gravior et saevior factus est, adeo ut hodie conventus habeatur ad quodvis onus responsabilitatis sustinendum impar.

Hac rerum conditione commota, uxor adiit tribunal ecclesiasticum competens et matrimonium accusavit nullitatis propter defectum consensus in viro mente infirmo.

Adalberto constitutus est curator, ad normam iuris.

Instructione completa atque exquisitis trium peritorum deductionibus super actis, definitiva prodiit sententia, votis actricis contraria.

Appellatum est ad N. S. T. et die 6 nov. 1956 data est sententia, quae nullitatem matrimonii propter invocatum caput pronuntiavit.

Est nunc videndum, post appellationem Vinculi Defensoris, in tertio gradu iurisdictionis: An sententia Rotalis d. 6 nov. 1956 confirmanda vel infirmanda sit in casu.

In Iure. - 2. - Cum matrimonium totam vitam contrahentes adstringat gravibus officiis et obligationibus, ad illud valide ineundum non sufficit quaelibet cognitio, sed merito et quae tanto negotio par sit ab eoque parta iura obligationesque satis cognoscere sinat.

Intelligentia, quae est facultas cognoscitiva veri eoque tendit ut suum quodammodo faciat quod verum extra ipsam versatur, si eadem est substantialiter omnibus hominibus, alia aliis est qualitate et quantitate: eaque evolvitur, progrediente aetate, secundum dispositiones somaticas, quas vocant: et inde praesertim ab adulescentia afficitur et qualificatur per elementa *noetica* (*largitatem* scilicet, qua scientia ampliorem 'documentationem' acquirit: *profunditatem*, qua rem essentialem expeditiore intuitione cernimus: demum *altitudinem*, qua facilius ex particularibus universalia abstrahimus): dein per elementa *endotymica*, nempe ad indolem seu ingenium cuiusque pertinentia: postremo per elementa *socialia*, scilicet societatis (i. e. dell'ambiente) in qua quisque conversatur.

3. - In intelligentia hominum rite distinguas facultatem cognoscitivam quae sistit in operatione abstractiva rei universalis ex particulari, seu in apprehensione simplici veri: et facultatem criticam, quae est vis iudicandi et ratiocinandi seu affirmandi vel negandi aliquid de aliqua re, et iudicia una componendi ut novum iudicium inde logice deducatur.

Facultas critica serius in homine apparet quam facultas cognoscitiva: illa autem eo crescit quo magis progrediuntur et evolvuntur elementa, de quibus diximus supra.

Ad propriorum actuum responsabilitatem habendam (quae morali imputabilitati respondet) non sane sufficit exercitium facultatis cognoscitivae, sed operari debet facultas critica, quae una potest iudicia efformare et liberae voluntatis excitare actus. Sed dum ad peccandum letaliter sufficit discretio pueri qui septennium egressus est, quatenus hic communiter potest voluntatem divinam cognoscere et rimari pro modulo suo quam probrum sit voluntatem Dei offendere: non sufficit neque potest sufficere huiusmodi discretio pro suscipiendis peculiaribus officiis matrimonio inhaerentibus et totam vitam, aliquando usque ad sacrificium, urgentibus. Id docent communiter doctores praeeunte Angelico (cfr. IV Dist. 24, q. 2, art. 2, ad 11).

Quae autem talis maioritas discretionis esse debeat, considerationibus tam psychologicis quam praesertim iuridicis statuendum est.

Docent in primis psychologi huiusmodi facultatem discretivam non ante decimum secundum aetatis annum evolvi: addunt autem psychiatri pari criterio eos esse considerandos quotquot, licet aetate adulti, mente tamen, propter morbum vel congenitum vel acquisitum, nondum duodecim annos numerare videntur, nempe talem aetatem mentalem habent, quae impar sit contrahendo coniugio.

In nostra legislatione criterium desumi potest ex can. 1067 et ex can. 1082. Prior vetat matrimonium maribus nondum in aetate sexdecim annorum constitutis, foeminis autem ante decimum quartum aetatis annum: et in paragrapho secunda commendat pastoribus animarum ut a matrimonio avertant iuvenes ante aetatem, quae, secundum regionis receptos mores, illud iniri solet. Prout appellati Patres recolunt, fundamentum et ratio huius canonis non est tam immaturitas corporis contrahentium et facultatis generativae acerbitas (quae caeterum matrimonii essentiam non vitiaret, licet retardandus esset matrimonii usus), quam potius facile demonstrabilis defectus discretionis necessariae (cfr. Gasparri, De matrim. I, n. 492, 493). Neque ita vulnus infligitur praesumptioni enuntiatae in can. 1082: nam si post pubertatem non praesumitur partes ignorare matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos (quod iure naturae sufficit ad matrimonialem consensum praestandum): talis mentis discretio debilis, ante aetatem per can. 1067 constitutam, esse solet: et propter hanc causam Ecclesia maiorem aetatem pro matrimonii valore exigit.

Quidquid est, urget semper can. 1082, § 2, quo dicitur ante adeptam pubertatem (itaque ante 12 annos pro muliere, ante 14 annos pro mare) praesumi ignorantia de natura matrimonii. Itaque nisi contrarium probetur, ignoratio naturae matrimonii praedicanda est pro mare nondum quattuordecim annorum, atque etiam pro homine qui licet aetate adultus sit, iudicio tamen peritorum, aetatem mentalem praesefert adulescentis minoris quattuordecim annis.

Evidenter ex his canonibus criterium pro re nostra desumitur ex quadam analogia: sed analogia vim suam magnam obtinet, cum normis psychologicis apte respondeat.

4. - Veniamus ad punctum quaestionis, scilicet ad considerandam aciem intellectus, quam praeseferunt qui paralysi generali progressiva corripiuntur.

Paralysis generalis progressiva (ita breviatim enuntiatur: P. G.) dicitur etiam morbus Bayle (qui primus a. 1822 illum descripsit) et definitur meningo-encephalites diffusa originis syphiliticae. Syphilidem esse huius gravis morbi causam hodie certum est, postquam Noguchi anno 1913 demonstravit in cerebro talium paralyticorum treponema vigere atque operari. Incertum vero adhuc manet problema pathogeneticum: utrum scilicet unum idemque sit an diversum virus dermotropum, quod nempe pellem afficit, et neurotropum, quod nervos: quomodo insuper virus afficiat vias vasculares et meningeas, intactis reliquis organis.

Morbus, si debetur syphilidi haereditariae, infantes et iuvenes corripit: si vero infectioni acquisitae, apparet post decem-quindecim annos a contagione. Evolvitur autem modis sane diversis: et varia esse potest incubationem inter et exordium periodus.

5. - Paralysis generalis progressiva triplici syndrome constanter signatur: psychica, neurologica et humorali.

Primam quod spectat, paralyticus praesefert *grave deficit psychicum* et *deliriis* corripitur. Suam nempe cogitandi et agendi rationem immutat, memoria graviter fallitur, unde apparet de tempore et spatio veluti deductus (*disorientamento temporo-spaziale*): autocritica plus minus destituitur, dein qualibet iudicandi et ratiocinandi facultate. Eius vita affectiva vel minuitur, vel extinguitur vel immodice extollitur, immutationes repentinas et irrationales aliquando exhibens de fletu v. c. in risum. Sensus moralis fit debilior: paralyticus apparet abnormis in agendo, incongruus, haud sibi constans, ad crimina pronus, cum quadam exhibitione coniuncta. Deliria praecipua in huiusmodi paralytico sunt *megalomaniae* et *melancholiae* (hypocondriae).

Signa typica neurologica paralysis generalis progressivae sunt *dysartria* (difficultas loquendi), *tremitus manuum et oris* ('mouvements de trombon'), *synthemata oculopupillaria,* tandem *reflexus osteo-tendinei.*

Si unum vel plura ex his signis neurologicis copulatur cum signis psychicis (praesertim cum *deficit* mentali) potest deduci cum certitudine paralysis progressiva: confirmatio autem huius diagnosis habetur per *examina biologica* sanguinis et liquoris cephalorachidiani, praesertim huius novissimi: « C'est avant tout l'examen du liquide céphalorachidien qui importe. La lymphocytose donnera de 10 à 100 éléments: l'hyporalbuminose variera entre 0, 30 et 1 gr.; le B-W sera ***. Le benjoin donnera une précipitation dans la zone syphilitique selon la formule suivante: 222. 222. 220 .000. 000. 0 ». Talis exitus communis examinum: at pa-

ralysis progressiva admitti quoque potest, licet exitus sit minoris gravitatis (cfr. F. Ramée, *Poralysie générale progressive,* in Man. Alphabet. de Psychiatrie, Paris 1952, pag. 305 seq.).

6. - Formae clinicae habituales P. G. sunt: *expansiva* (frequentior, cum gravi deordinatione in agendo et in negotiis gerendis), *depressiva* (quae speciem praefert cuiusdam neurastheniae vel hypocondriae): *apathica et dementialis* (cum signis respondentibus dementiae), demum *epileptoides,* ictibus scilicet repetitis. Formae particulares P. G. sunt: *infantilis,* quae insurgit aetate 10-15 annorum et synthematis neurologicis potissimum signatur (paraplegia spasmodica, perturbationes toni et aequilibrii): *iuvenilis,* quae insurgit aetate 15-20 annorum: et *senilis,* quae insurgit post 60 annos. Denique paralysis progressiva associari potest tabi, syndromi cerebellari, alchoolismo, chronico (P. G. « arrosée »), atque simul tabi et alchoolismo (tabeto P. G. « arrosée »).

P. G. si initio curetur, antequam scilicet treponeina destruxerit cellulas nerveas, sanari potest. Ante detectam malariotherapiam seu paludotherapiam atque invecta stovarsol et penicillinam, morbus fataliter evolvebatur et ad exitium ducebat intra duos annos: hodie his medicinis morbus curari potest et aliquando sanari.

7. - Certum est paralysim progressivam posse facultatem criticam patientis ita perturbare, ut hic impar evadat consensui matrimoniali valido eliciendo: atque id accidere tunc quoque cum patiens inexpertis sanus suique compos appareat. At singulis in casibus difficile est determinare an morbus eousque progressus fecerit: in dubio prudenti standum est praesumptioni pro matrimonii valore.

Hac in provincia, quae multam scientiam et prudentiam exigit, valde attendendi sunt in re psychiatrica periti, qui magis quam non versati valent indicia pensare, comparare et iuxta suae artis et scientiae criteria definire. Quod si hi signa et indicia minoris momenti ante nuptias manifestata et ab imperitis habita tantum ut aerebrosi cuiusdam actiones, trahunt ad morbum graviorem tantum post nuptias manifestatum, bonum sequuntur communiter diagnosis, uti dicitur, criterium.

Verum est iudicem non teneri peritorum deductionibus et conclusionibus, praesertim si cum iudicialibus tabulis non plene cohaereant. In re autem psychologica facilis errandi aperitur via et mullis arbitriis materia subiecta esse potest. Attamen a concordibus peritorum conclusionibus, eorum praesertim qui peritiae

vere conspicuae christianum sensum coniungunt, non abscedet iudex nisi propter contraria gravissima argumenta.

8. - Testes quod spectat, optime animadvertunt appellati Patres cum circumspectione, hisce in causis, attendendas esse testificationes in favorem sanitatis mentalis factas ab iis qui cum patiente iunguntur vinculis sanguinis et arctae amicitiae. Hi enim ad vnidicandam sanitatem mentis necessarii sui trahuntur praeter quam affectu erga ipsum, proprio quodam commodo, cum debilitas mentis unius, iudicio vulgi, in probrum ipsius familiae convertatur.

Neque mittendum est aliquas ingenii abnormitates minoris fieri momenti ab amante, quinimo et in bonum sensum verti, iuxta illud Horatii: « amatorem quod amicae turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec delectant » (Serm. I, 3, 38-40).

In Facto. - 9. - Cum de re agatur quae non communem peritiam postulet, praestat ex testibus eos praeprimis exigere qui psychiatricam et medicam scientiam polleant, aliorum autem testium affirmata una cum peritis ex officio considerare, et in horum conclusiones demum animadvertere.

Doct. Alcibiades non unam occasionem habuit videndi conventum annis praecedentibus matrimonium: Colligendo simul omnes notitias quae tunc vulgabantur de morbida haereditate familiae et de peculiari morbo quem patiebatur conventus, doct. Alcibiades cogitavit ad syphilidem primariam seu congenitam, et cum experiretur conventum tanquam « imbécile », dehortatus est vehementer matrimonium: at, uti postea apparuit, sine exitu. Testis vidit adhuc conventum, et quidem multoties, post tres annos a matrimonio, et tunc « il m'a paru irresponsable ».

Doct. Sergius curavit conventum tribus annis post matrimonium. Anamnesis denuntiavit haereditatem morbidam, id quidem graviter: conventus apparebat distractus, immemor: ad medicum ductus fuerat invisendus quia sensibus destitutus fuerat, consequente hemiplegia sinistra. Peractis examinibus biologicis conclusum est agi de perturbationibus originis syphiliticae, quae initium habuerant ante aliquos menses. Tempore anteriore, ait doct. Sergius, conventus non erat « sous-doué ». Hodie tamen morbus insanabilis dicendus est et ingravescit in dies cum prognosi infaustissima.

Doct. Petrus inspexit conventum post matrimonium praecise curae: consultus est an conventus occupationem aliquam in industria habere posset. Apparuit conventus nondum demens, sed « très affablie au point de vue mental, irresponsable », cum aetate mentali 7, 12 annorum. Retinuit doct. Petrus morbum initium

habuisse cum conventus miles erat, nempe duobus annis ante coniugium. Si forte doctor vidisset conventum ante matrimonium, hoc illi nequaquam consuluisset, quia eum habuisset « trop affabli au point de vue mental ».

Doct. Vitus ante matrimonium nil peculiare viderat in convento: tantum « il begayait un peu »: itaque normalis apparebat « au point de vue de manifestations ». Post matrimonium et antequam in nosocomium duceretur conventus manifestavit exaggeratam excitationem mentalem pathologicam, quae recens videbatur. Censet tamen testis discrimen inter modum agendi ante et post matrimonium esse « enorme ». Hodie conventus est « irresponsable » at, cum morbi evolutio in casu rapidissima praesumenda sit, initium morbi ponendum esset post matrimonium.

Doct. Sorthenes invisit conventum duobus circiter annis ante nuptias. Erat tunc conventus « demi-conscient » perinde ac si correptus fuisset epilepsia; praecisas responsiones non dabat: erat nervosus, non tamen agitatus. Doct. Sorthenes vidit adhuc conventum quo die inspectus est a doct. Sergio, nempe post crisim epilepticam: tunc cognovit ab uxore modum abnormem sese gerendi viri sui: « il se chicanait avec son bébé, s'absentait de son bureau, avait des oublis ».

Ex his testibus, sane peritis, certum scimus conventum inde a duobus-tribus annis post matrimonium signa indubia dedisse P. G.: at incertum manet cuiusnam originis morbus esset, congenitus an acquisitus: incertum pariter an tempore contracti coniugii morbus iam esset in actu, et facultates mentales viri debilitaret. Pro morbo congenito et pro defectu discretionis est doct. Alcibiades et aliquatenus doct. Petrus: pro acquisito et pro valetudine viri tempore matrimonii sunt doct. Sergius, doct. Vitus et doct. Sorthenes. Animadvertere tamen debemus hos novissimos medicos vidisse et inspexisse conventum tantum cum morbus exploserat et de anteacta vita conventi illud tantum noverunt quod vel uxor vel familiares ipsis dixerunt: uxor quidem et familiares, qui interesse habere poterant ne omnia panderentur medicis, vel etiam quibusdam abnormitatibus conventi nullum vel parvum momentum tribuerant. Verbi gratia uxor qui doctori Sortheni in primis inspectionibus nil dixerat de abnormitate viri, hanc plane aperuit, sine limitatione temporis, in secunda inspectione, cum iam morbus vix abscondi posset. Caeterum valorem retinent affirmata a doct. Alcibiade, qui diutius cum convento ante matrimonium conversatus est et eius vitam moresque prope, oculis medici et non imperiti cuiusdam, considerare potuit. Non inaniter ipsi con-

ventus apparuit « un imbécile »; non sine causa ille dehortatus est coniugium. Quid igitur valet assertio doct. Sergii dicentis ante nuptias conventum fuisse « normalem » et communibus intellegentiae dotibus praeditum? Plerique autem ex his testibus dum cogitant ad infectionem veneream habitam durante servitio militari, quam conventus negat, negligunt morbidam haereditatem conventi, quam ipse dóct. Sergius relevat.

10. - Videamus igitur quam conclusionem depromant periti post examinata praedictorum testium verba affirmationesque necnon depositiones partis actricis et eorum testium, qui nulla suspicione gravari possunt.

Peritus prof. Paulus, in provincia psychiatrica valde expertus, animadvertit conventum antequam stipendia mereretur, iudicio testium credibilium, dedisse signa debilitatis mentalis, adeo ut cum ad viginti annos numeraret, mente duodecim amplius annos ostenderet: eundem conventum primum ictum evidentem neuro-syphilidis habuisse durante militia, quando reactiones biologicae sanguinis fuerunt valde positivae, conventus autem statu depressivo tenebatur et litteras prolixas sine necessitate et sine sensu scribebat, uti esserit uxor: post reditum in domum suam, opinionem pluribus conventum ingessisse morbi mentalis, quo occuparetur, apparendo imbecillem, puerilem, zelotypum, colloquendi incapacem: et minas suicidii identidem proferendo: contracturum autem matrimonium stultas petitiones fecisse pecuniae, haereditatis: in itinere nuptiali abnormiter sese gessisse et, cum rediret, vehementissima et abnormi ira correptum fuisse: denique progrediente aetate mentem ipsius gravius evanuisse, quoad paulo post evidentissime apparuerunt perturbationes specificae paralysis progressivae: tremitus, deambulatio vitiosa, hemiplegia sinistra etc.

Haec omnia si simul perspiciantur cum morbida haereditate conventi a doctoribus Vito et Sergio in tuto posita, non solum concludendum est — ait peritus Paulus — conventum post matrimonium gravi mentis perturbatione affici ex P. G.: sed ex eodem morbo eundem conventum, quando matrimonium contractum est, non habuisse eam mentis discretionem quae par esset contractui tam gravi quale est matrimonium.

11. - Sed non idem sentire videtur alter peritus iudicialis, prof. Donatus. Hic aeque admittit cum reliquis omnibus ab annis subsequentibus matrimonium, conventum correptum fuisse gravi paralysi generali, qua hodiedum afficitur: sed censet synthemata collecta diligenter ex actis ab alio perito non esse satis ad concludendum conventum ante matrimonium et in ipsius celebratione

iam P. G. affici, adeo ut validum consensum dare nequiret. Paralysis qua conventus infectus apparuit tribus annis post matrimonium potuit provocari a contagione syphilitica habita duobus annis ante matrimonium, quin necessario recurrendum sit ad haereditatem syphiliticam, a perito Paulo denuntiatam.

Huiusmodi periti deductiones, quae videntur ludere inter possibilitates, fere neglectis notitiis anamnesticis conventi et informationibus datis a pluribus testibus, praesertim a doct. Alcibiade, nescimus quomodo conciliari possint cum eiusdem periti affirmatione, scilicet viro convento, ante matrimonium, dandam esse aetatem mentalem duodecim vel amplius quattuordecim annorum. Agnoscit autem peritus: secundum affirmationes actricis conventum ante matrimonium ostendisse aetatem mentalem 7 vel amplius 12 annorum. Porro haec aetas insufficiens praesumitur in mare ad contrahendum matrimonium: et prorsus insufficiens dicenda est in viro aegroto, qui propter ipsam aegritudinem discretionem adulescentis duodecim annorum perturbatam habet: alius est enim adulescens sanus, alius est vir aegrotus qui aciem intellegentiae habet puerilem: illic natura, hic vitium.

12. - Merito tribunal primi gradus peritiorem arcessivit prof. Franciscum, antecessorem psychiatriae in Universitate celebri. Hic non solum acta diligentissime perscrutatus est et attento examini subiecit exhibitas iam peritias, specie dissonantes. Eius conclusiones, quae sunt pro re nostra decisivae, ita breviter exponi possunt. Contra deductiones periti prof. Donati peritior animadvertit: a) ipsius conclusionem quod conventus ante nuptias non fuerit « sous-doué » apertissime pugnare sive cum concordibus affirmationibus plurium testium, inter quos eminent magistri conventi, et doct. Alcibiades, sive cum ipsa conclusione periti, dicentis aetatem mentalem conventi ante matrimonium fuisse duodecim circiter annorum (cum haberet ad 26 annos); b) paralysim progressivam conventi apparere ex actis potius haereditariam, perspectis tum gentilitio conventi, tum affirmatione ipsius conventi, numquam scilicet se habuisse infectionem syphiliticam: tum absentia cuiuscumque ulcerationis in genitalibus, cum contagio syphilitica, ope examinum biologicorum, perspicue detecta est (B. W. **): tum affirmatione doct. Sergii dicentis paralysim progressivam conventi esse typi iuvenilis et haereditati deberi: tum affirmatione doct. Petri quam examinavimus: tum denique ex eo quod maxime cum difficultate exurgere potuisset gravis ictus paralyticus ex contagione habita ante matrimonium, scilicet tantum post quattuor annos; c) deductiones periti Pauli esse in actis magis fundatas: doc-

torem autem Donatum non rite considerasse neque perpendisse fundamentum haereditarium morbi conventi.

His animadversis peritior concludit paralysim progressivam conventi repetendam esse ab haereditate, latentem mansisse usque dum primo explosit durante servitio militari: secundam autem explosionem habuisse, eamque irreparabilem duobus-tribus annis post coniugium. Itaque quando matrimonium contractum est conventus, etsi amens adhuc dici nequiret, ea erat in mentali aetate constitutus ut obligationes matrimoniales valide suscipere non posset:

13. - Huic conclusioni, tantis testium suffragiis firmatae tantaque peritia psychiatrica deductae, quam confirmat quoque peritia privata, a patrono exhibita, officere nequeunt familiares conventi sustinentes se non vidisse ante nuptias vel continuo post ipsas signa debilitatis mentalis ab aliis testibus animadversa. Etenim, uti in iure diximus, parentes et familiares aegroti, et talis aegroti, minus quam aliis abnormitatis signa perpendunt necessarii sui, et caeterum grave habent illa denuntiare.

Neque conclusioni peritioris Francisci et periti Pauli (quidni et periti Donati, admittentis aetatem mentalem tam parvam?) nocent doctores Sergius, Vitus et Sorthenes, excludentes debilitatem mentalem conventi tempore contracti coniugii. Talis enim conclusio, quae, uti supra animadvertimus, aliquam explicationem habere potest ex circumstantiis, veluti obruitur testimonio doct. Alcibiadis, testis de visu magni momenti, uti diximus, et plurium aliorum testium pariter de visu, praeter quam actricis.

In hanc propterea conclusionem deveniunt Patres, ut licet tempore contracti coniugii Andreas conventus demens, uti forte hodie, dici non posset, eam tamen non haberet mentis discretionem, quae iuxta ius naturale, positivis praescriptis firmatum, satis esse ad valide promendum matrimonialem consensum.

14. - His ergo omnibus tam in iure quam in facto rite perpensis et examinatis, Nos, infrascripti Patres Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, decernimus, declaramus et definitive sententiamus: *Constare de nullitate matrimonii in casu:* seu ad propositum dubium respondemus: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, seu sententiam Rotalem diei 6 nov. 1956 esse confirmandam: vetito tamen viro transitu ad aliud matrimonium.

(*Omissis*).

IV

Coram R. P. D. Petro Mattioli, *Ponente*

Sententia diei 8 febr. 1951

(*De exclusione indissolubilitatis vinculi in acatholicis*)

Facti Species. - Mutuo ardenti amore se prosequentes, Maria Elisabeth Gave, die 26 decembris 1917 nata, in secta protestantica baptizata, et Jacobus Faure, die 1 martii 1910 natus, pariter protestanticae sectae, in qua baptizatus est, addictus, matrimonium, sive ritu civili, quem vocant, sive religioso, coram ministello, die 11 februarii 1937, Antuerpiae, feliciter iniverunt.

Et cum coniuges natalium nobilitate ac divitiarum copia praefulgerent, vita communis maxima laetitia, inter festa ac mundanas receptiones, per annos processit; usque dum, superveniente bello, corpore, prius, cito autem etiam animo, dissociati sunt.

Anno 1943, utroque exoptante, divortium civile pronunciatum est. Et vir quidem alterum matrimonium, juxta patrios mores, attentavit; mulier, vero, in matrimonium quaesita a viro catholico et Ecclesiam ingredi cupiens, nullitatem matrimonii, per libellum diei 25 januarii 1948, Supremae Sacrae Congregationi S. Officii denunciavit, petens facultatem agendi sive ut acatholica, sive ut assertae nullitatis causa, eo quod « les conjoints se sont mariés, se réservant la faculté de recourir au divorce, et parceque le mari était nettement et formellement opposé à toute procréation ».

Sanctum Officium non modo petitam facultatem concessit, juxta preces, sed ad cognoscendam causam deputavit tribunal dioecesis X.

In quo, post instructionem debitam, sententia primi gradus prodiit, die 4 februarii 1949, actrici favorabilis ob exclusum tantum bonum sacramenti; nam, de alio, processuales tabulae ne indicium quidem seriae probationis attulerant.

Appellante Defensore vinculi Sanctam Sedem, res a praelaudata S. Congregatione, pro ferendo alterius gradus judicio, commissa fuit huic A. Tribunali.

Et concordato de more dubio, nunc est videndum: « An constet de matrimonii nullitate in casu ».

In Jure. - Clarissime a lege, a doctrina, a jurisprudentia proclamatur matrimonium fieri per solum contrahentium consensum, quem nemo supplere valet (can. 1081); proinde neque per copulam, neque per amorem, neque per amicabilem, inter marem et foeminam, societatem, in qua commoda et voluptates sensuum per-

quirantur, abiectis essentialibus coniugii, prout in natura est, officiis.

Quidque vero per consensum matrimonialem intelligi debeat, mox in cit. can. subiungitur, nempe: « actus voluntatis, quo utraque pars tradit et acceptat jus in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem ».

Quo posito, nil obstat, per se, quod valide, naturali modo, matrimonialis consensus exprimi possit etiam inter paganos. Et Ecclesia utique paganorum matrimonia a priori valida generatim censet, donec contrarium probetur, i. e. donec invincibiliter ostendatur per nupturientium voluntatem aliquod consensus constitutivum essentiale exclusum vel reiectum fuisse.

Quoad christianos non eadem res est: Ecclesia, nempe, ad praecavenda incommoda, quae ex matrimoniis clandestinis, prouti vocabantur, frequenter contingebant, quamdam formam canonicam, certis quidem sub legibus, in emittendo consensum matrimonialem, suis subditis, ad validitatem, in Tridentina Synodo, praescripsit. Numquam autem eo pervenit, ut omnium baptizatorum coniugia invalidaret, nisi forma servata.

In praesenti disciplina, quae aliquantum tridentinam immutavit, quinam formae canonicae observandae regulariter adstricti sint, per can. 1099 praescriptum statuitur. Ubi etiam legitur: « ...acatholici, sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahant, nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam ».

Omnes proinde acatholici sive per ritum, quem civilem vocant, se coniungant, sive in eorum templis, coram sectae administris, dummodo matrimonium prouti in rerum natura existit intendant (quod praesumitur), nec aliquam ex ipsius proprietatibus essentialibus positive excludant, valide contrahunt.

Sed quaeritur an potius praesumendum non sit, in acatholicis istis, quod voluntatis actus consensum constituens, praesertim in regionibus ubi leges Reipublicae divortium ingreditur, mores, conceptus et omnia subvertens, ad *illud jus* se referat, quod jam ut de se temporaneum ac solubile a multis in praxi concipitur.

Quaestionem jam vidit, riteque solvit, Benedictus XIV, in praecl. opere « De Synodo dioeces. », ubi agit de formula, qua haeretici Calvinistae in celebrandis matrimoniis utuntur (vel, saltem, tempore illo utebantur), ac dein quaerit an, stante hac formula, cuius termini expresse divortium innuere viderentur, matrimonia illa pro validis nihilominus habenda sint. Formula autem haec est: « ...Sancta Trinitas... ita te adjuvet in tua fide, quod personam quam manu tenes... illa contentaberis, cum illa patieris.

nec illam, tua et illius vita durante... deseres *quoadusque* in sua honestate et puritate permanserit ».

Sed, revocata recta, quae relatis ritualibus verbis debetur, interpretatione, juxta sensum quem constanter S. Ecclesia tribuit (quemque Tridentinum definivit can. 7, sess. 24, de sacr. Matr.) sive illius loci Ge. 2, 22-25, sive Mt. 19, 3-12, ita ven. Pontifex concludit: « Ex his plane consequitur matrimonium inter virum et foeminam contractum, quo tempore ambo Calvinianae haeresi adhaerebant, validum firmumque censendum esse (N. B.: agebatur de muliere quae, a viro calvinista per divortium separata, et Ecclesiam ingressa, alteras nuptias cum viro catholico bona fide celebraverat: i. e. de facti specie nostrae simillima!), tametsi cum ceteris eiusdem haeresis sectatoribus falso opinati fuerint matrimonium, etiam quoad vinculum, adulterio interveniente, dissolvi: siquidem credendum est eos generali voluntate contrahere voluisse matrimonium validum, juxta Christi legem, ideoque etiam adulterii causa non dissolvendum. Privatus enim error nec anteponi debet, nec praejudicium afferre potest generali, quam diximus, voluntati, ex qua contracti matrimonii validitas et perpetuitas pendet » (O. c., lib. XIII, cap. XXII, n. III).

At diversimode prorsus est sentiendum quoties erroneus ac falsus ratiocinandi modus, de quo est sermo, campum voluntatis quomodocumque ingreditur, consensum afficiendo eumdemque laedendo. Hoc prae primis verificatur cum conditio vel pactum ponitur contra indissolubilitatem, vel — ut apud Veteres legitur — conditio in pactum deducitur substantiae matrimonii contrarium: « In quo rerum statu — prosequitur laud. A. — locum habet celebris Decretalis Gregorii IX: « Si conditiones contra substantiam coniugii inserantur... matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu ». Cui conformis est alia eiusdem Gregorii IX Decretalis: « Cum in Sclavoniae partibus consuetudinem pessimam... esse proponas, juxta quam sub ea condicione mulier coniungitur viro, si sibi placuerit in matrimonium retinenda, alioquin reddenda parentibus... Nos tibi super hoc, propter periculum animarum, consilium postulanti, respondemus quod, cum contra matrimonii substantiam haec conditio inseratur, pro eo quod ad tempus nec debet, nec potest matrimonium celebrari..., (sic contrahentibus) denunciari debet quod non matrimonia, sed contubernia sunt potius inter eos, nec legitime, sed fornicarie commiscentur.. ».

...ubi (igitur) contrahentes in ipso matrimonii contractu expressam apposuerunt conditionem de dissolvendo quoad vinculum

matrimonio in casu adulterii, jam fieri nequit ut error particularis absorptus maneat a generali voluntate contrahendi matrimonium, prout a Christo institutum fuit, sed potius voluntas generalis eiusmodi extinguitur et suffocatur ab errore particulari, qui manifeste praevalet ac dominatur, atque hinc oritur nullitas matrimonii, in quo contrahendo apposita fuit conditio ipsius substantiae contraria » (O. c., nn. V-VII).

At Patres non aufugit in hodierna legislatione, praeter quam de condicionibus contra substantiam (can. 1092), sermonem instituí de « positivo voluntatis actu », quo matrimonium ipsum, aut essentialis eius proprietas excludatur.

Sed, quamquam « locutio ista nova dici potest in jure... conceptus qui eadem exprimitur neque fontibus, neque antiquis Theologis et Canonistis fuit ignotus. Iidem enim sive de proposito, sive de intentione pertractant nuptias irritante, et aliquando promiscue et indifferenter de intentione et conditione loquuntur. Haec autem terminorum commixtio ex conceptuum similitudine profluit, imo ex rei ipsa natura. Neque enim ratione mentis subiecti, seu voluntatis contrahentis, neque ratione effectus, seu contractus matrimonialis, conditio ab intentione, i. e. a simplici actu voluntatis, substantialiter differt. In utroque casu consensus limitatur et in obiectum dirigitur a matrimonio substantialiter diversum, et in utroque casu, voluntate absoluta ac praevalenti, essentia matrimonii excluditur aut eiusmet essentiale bonum; hac vero exclusione matrimonium tollitur. Nisi haec voluntas absoluta ac praevalens, seu omnino constans ac firmissima sit, praevalet voluntas generalis contrahendi matrimonium prout natura ipsa consistit. Simplex actus positivus voluntatis seu intentio nihilominus a conditione differt, quia formam conditionis non induit; attamen a voluntate elicitur ita disposita ut, si opus esset, vera condicio fieret » (v. D. Staffa: « De actu posit. voluntatis quo bonum essentiale matrimonii excluditur », in « Monitor Ecclesiasticus », 1949, vol. I, pp. 164-65).

Horum luce, facile infers conditionem contra indissolubilitatem, vel utcumque pactum, vel positivum voluntatis actum, non consistere in sermonibus vagis de possibilitate divortii, vel in scienti aet conscientia legis civilis, aut placitorum religiosae sectae, divortium certis in adiunctis concedentis, aut in colloquiis obiter et ex joco factis, in quibus mentio fiat *de jure* (ut tales dicere audent) divortiandi; sed in actu firmissimo, constanti, serio ac graviter prolato, quo simul, i. e. aeque principaliter intendatur atque acceptetur et matrimonium et, certis in adiunctis, divortium ple-

num. Utique, ad irritandum consensum, non requiritur absolute quod actus iste voluntatis sit actualis, sed sufficit virtualis: qui, nempe, olim vere elicitus, numquam expresse retractatus fuit; non autem sat est interpretativus, qui in rerum natura neque existit neque umquam extitit, sed nec mere habitualis, qualis esset contrahentis, in genere, aliquando cogitantis de proprio matrimonio ut dissolubili contrahendo, quin tamen concreto contractui opinionem suam dein expresse applicaret. Pariter, actus mere internus irritat, et etiam tantum implicitus: ut autem nullitatis declaratio in foro fori haberi possit, morali certitudine, ex actis construenda, probari debet.

Probationem quod attinet, cum voluntas haec aequivaleat simulationi saltem partiali, ad jurisprudentiae Rotalis normam inquirendum erit de judiciali confessione simulantis: non equidem eo sensu, quod talis confessio absolute necessaria sit, aut, si extet, argumentum peremptorium constituat; sed ea lege ut, si deficiat, et aliis eiusdem simulantis declarationibus extra judicium factis suppleri nequeat, probationis cardo corruat.

Dein quaerendum erit an detur apta simulandi causa, proportionate gravis: scilicet quae, attentis indole nupturientium et adiunctis omnibus sponsalia et matrimonii celebrationem comitantibus, verisimilem, i. e. aliquo modo rationabilem et acceptabilem praetensam reddat exclusionem.

Tandem, circumstantiae antecedentes, concomitantes et posteriores cribrandae erunt, ut ex his assumi possit, si et in quantum, quidvis assumpto obest vel prodest. Nec praetermittendum erit probitatem ac veridicitatem testium desumi debere sive ex informationibus de eorum vita et moribus assumptis, sive ex eorum depositis attente, inter se, et cum illis partium, collatis.

In Facto. - Ultro concedendum est mentem utriusque partis falso et erroneo conceptu, quem haeretici atque gentiles prosequuntur, de matrimonii dissolubilitate, seu *de jure divortii,* imbutam esse.

Itemque, neuter exemplis coetus familiaris, aut socialis, apud quem se movebat, ullo modo juvabatur in hac mentalitate vincenda, vel in dubio concipiendo de rectitudine et obiectiva veritate huiusmodi opinionis. Quin imo contrarium pro certo tenendum est: nam, ut de amicis et notis taceamus, matrimonium sororis actricis, nomine Annae, ac genitorum conventi, divortio civili jam maculatum fuerat.

His minime obstantibus, vere audax, ne dicamus mendax, ab

actis exhibetur assumptum causae in libello his verbis expressum: « les conjoints se sont mariés, se réservant la faculté de recourir au divorce, et parceque le mari était nettement et formellement opposé à toute procréation ». Nam, praeter misso quod probatio de voluntate viri contra bonum prolis tam misere in instructione causae defecit, ut sententia primi gradus tractationem de ipsa ne suscipiat quidem — quod actricis veridicitati certo non favet! — restat sententiam eamdem, etsi indulgentem nimis, neque pactum inter partes indissolubilitati contrarium admisisse, nec intentionem viri substantiae matrimonii utcumque adversam considerasse. Immerito, igitur, ac prorsus falso, *de utroque coniuge,* ut facultatem divortiandi sibi reservante, in libello sermo ponitur: quod adhuc magis actrici nec dignitati nec emolumento est.

At examini subiiciamus actricis deposita.

Quamvis ipsa per quaesita multa ac varia, inter quae prorsus impertinentia non desunt, vel quae responsionem, contra juris praescriptum, veluti suggerunt, excussa fuerit, nec unum protulit verbum, quod probet ipsam condicionem contra indissolubilitatem apposuisse, vel quovis modo indissolubilitatem exclusisse.

Et audiatur quid de propria institutione, ac de propria opinione circa matrimonium, exponat: « J'ai été dans une école laique, où il n'y avait rien au point de vue religieux...

Je suis entrée dans la vie sans m'être posée les questions de bien et de mal, impreignée que j'étais des impressions reçues de mes parents profondément moraux. Au moment des fiançailles et du mariage, j'avais certainement une conception morale, qui me liait à mon mari pour le temps que lui ou moi nous n'aurions pas de raison de ne plus nous entendre. Au fond, le jour ou lui ou moi aurions une raison majeure de trouver que nous ne pouvons plus nous entendre, je trouvais que nous pouvions nous séparer et briser le lien. Si mon mari m'avait trompé, j'étais convainçue que j'aurais le droit de retourner chez mes parents.

En cas de mésentente, je considerais avoir le droit de me séparer de lui ».

Dein, quaesitum n. 9 dimittens, adhuc clarius: « Mon opinion à ce sujet était qu'un mariage est dissoluble et que, si les conjoints ne s'entendent pas, ou désirent autre chose, ils ont le droit de divorce ».

Sed haec omnia apprime distingui ab illo actu voluntatis, sive actuali sive virtuali, quo indissolubilitas expresse excluditur, vel libertas divertendi expresse reservatur, in comperto est. Etenim, relata solummodo produnt illam animi dispositionem habitualem

suscipiendi vinculum, prout in patriis legibus et moribus erronee concipitur, i. e. solubile: sed hic status animi consensum non limitat, quia de facto campum voluntatis non ingreditur. Unde, mirum non est quod actrix, interrogata circa ea quae persenserit, aut quae proposuerit quando Anna, soror eius, divortio suum virum dimisit, respondeat: « Je n'ai pas été choquée que ma soeur divorçât. Mais je ne pensais pas que cela m'arriverait à moi ».

Ceterum, Maria Elisabeth quid, sacramentalia verba coram ministro suae religionis proferens intenderit, efficacius pandere non poterat, quam per ea quae, interrog. 19 respondens, declaravit: « Je crois qu'au moment où je l'ai dit devant le pasteur c'était sincère: for the best and the worst. Je crois que ma conception avant et après n'était pas la même qu'elle j'avais au moment de dire oui devant le pasteur. J'étais au courant de ce rituel et de la signification de ces mots. Je crois qu'au moment d'entrer dans cette église j'étais tellement impressionnée, que j'ai dit oui sincèrement ».

Institit Officium instructionis, et quidem importune, in altero interrogatorio ab actrice pressius petens: « Vous rappelez-vous nettement d'avoir envisagé à ce moment la possibilité théorique du divorce? »

Et en responsum mulieris peremptorium: « Pendant la cérémonie certainement pas ».

Clarissima proinde sunt verba actricis: consensum matrimonialem illa sincere protulit, nihil omnino de divortio cogitans, firmiter credens ac sperans unionem pro vita duraturam, quidquid leges civiles aut sectae placita praescribant, vel tolerent, vel permittant.

Coram his, simulantis judicialem confessionem, in casu, non modo deficere omnino tenendum est, sed insuper haberi non ambiguam, de consensu integro ac sincere praestito, declarationem. Quod quanti momenti sit, neminem fugere potest: etenim, in hac causa, pars, quae ponitur simulasse, non est conventa (quae, ob despectum, vel ob peculiare interesse, actioni obstans, simulationem mendaciter negare posset), sed est ipsa actrix, in qua desiderium vel propositum assumpto nocendi quin supponi, sed et expresse excludi debet!

Nec diversa actrix de consensu a viro emisso testatur: « Je suppose que des deux lui était peut-être le plus sincère. Ce sont de questions que je n'ai jamais discutées avec lui, ni avant ni après mon mariage » (resp. ad quaesit. 34). Quod deinde addit: « Je ne crois pas qu'il a donné un consentement absolu » est tam

vagis et incertis verbis expressum, ac tam labili fundamento innixum, ut nec tamquam probationis indicium accipi possit.

Sed videamus an saltem constet de confessione actricis simulantis extra judicium, et quidem talibus in adiunctis, ac tam claris verbis peracta, ut ad eam admittendam cogamur, iis non obstantibus quae in judicio audivimus.

Et heic, re vera, notandum est causam, de qua tractamus, esse prorsus singularem, in eaque contingere contrarium ac in huiusmodi causis ordinario accidit: nam actrix, hic, est quae a testibus accipit, et quidem tempore quo de causa instauranda agitur, proinde suspecto, id quod ante matrimonium dixisset ac proposuisset. Nec satis: nam actrix ipsa ea, quae ab aliis accipit, vel negare vel labefactare, sua judiciali depositione, conatur. Videatur:

Officium instructionis hoc quaesitum, sub n. 10, actrici proposuit:

« Avez-vous exprimé devant quelqu'un votre conception théorique concernant la dissolubilité du mariage? Devant qui? En quelles circonstances? En quel sens et, si possible, en quels termes? Et pendant ou après votre mariage? »

Actrix respondit: « Je l'ai exprimée devant une des mes tantes à un dîner de fiançailles. Moi même je ne me rappellais plus ce détail.

Elle m'a dit qu'elle ne se rappelait pas les termes exacts, mais elle m'a rapporté que j'avais dit que si mon mariage ne marchait pas, il y a tousjours la possibilité de divorce... »

Sed maxime perpendantur ea quae actrix mox subiunxit: « Avant mon mariage, *je ne me suis jamais permis des termes aussi flagrants*, mais une amie m'a dit que j'ai tousjours parlé dans ce sens. Pendant mon mariage, il n'en a pas été question. Après mon mariage, je ne crois pas que j'en ai encore parlé parceque cela ne venait pas à point ».

Post haec, quomodo acceptari possint ea, quibus nonnulli, ut videbimus, intentioni actricis contra indissolubilitatem favere satagunt, quaeque huiusmodi dictis vis tribui debeat, absolute non intelligitur, sed nec intelligi potest.

Conventus et ipse ethnicorum moribus adolevit ac nuptias inivit.

Nam ab actis praebetur voluptatibus ac saeculi illecebris maxime indulgens, et a judice de norma moralitatis interrogatus, hoc responsum dedit: « Je ne me sentais pas obligé devant Dieu, mais par la dignité humaine ».

Judex instat: Quelles étaient à l'époque des votres fiançailles avec Mlle Mary les préoccupations qui guidaient votre vie? »

Resp. On est jeune, on trouve une très bonne idée de se marier, et voila: on se marie.

Adhuc: Quelles étaient, de fait, à l'époque de votres fiançailles et de votre mariage vos idées sur le sens et la signification du mariage?

Resp. C'est un peu mélangé: d'avoir un homme avec Mary, où l'on était libre de faire ensemble ce qu'on voulait ».

Insuper: Quelles étaient vos conceptions, à cette époque, concernant l'indissolubilité ou dissolubilité du mariage, en général?

Resp. Le mariage est pour moi parfaitement soluble...

Etiam: Avez-vous, pendant vos fiançailles avec mlle Mary, ou vers l'époque de mariage, envisagé la possibilité du divorce et le droit de recourir éventuellement à un divorce, pour votre cas personel, c. à d. pour votre propre mariage avec Mary?

Resp. Peut-être qu'on s'est dit: le divorce n'arrivera pas pour nous, mais tout en acceptant la possibilité du divorce, ça veut dire que si « cela tourne mal, on divorcera ».

Tandem: Avez-vous eu l'idée ou l'intention de contracter à vie, de vous engager pour tousjours vis-à-vis de Mlle Mary, en la prenant pour épouse le jour de votre mariage?

Resp. *Oui. Je me suis engagé envers elle pour la vie.* Le mariage est un contract qui lie. La possibilité de divorce est sous-entendue et admise ».

Quae quidem apertissime ostendunt dum ex una parte virum errorem de vinculo matrimoniali solubili coluisse, ex altera nullimode, promendo consensum, perpetuitatem positive exclusisse. Quod autem etiam deponat: « peut-être qu'on s'est dit etc. », nihil evidenter officit, nam de pura hypothesi agitur, quae insuper gratis commemoratur et verbis sat ambiguis.

Inter testes, prius quam deveniatur ad examen illorum, qui actricem juvandi studio flagrant. recensendi sunt intimiores familiae, qui quidem mentem et intentionem, ab actrice in judicio denunciatam, adhuc apertius, si opus esset, ostendunt. Ii sunt soror Anna, ac mater.

Deponit Anna: « C'est difficile de préciser quand. Mais nous avons certainement parlé beaucoup de divorce, étant donné que beaucoup de personnes de notre entourage divorçaient. Nous etions à ce sujet tousjours de la même idée. Je crois qu'elle ne m'a jamais parlé de son mariage. Elle ne m'a jamais dit qu'elle divorcerait. Mais elle m'a dit de choses comme ceci: si j'étais dans ton cas, je le ferai aussi. Mais au fond elle était convaincue que cela n'arriverait pas ».

Similiter mater: « Je crois qu'au moment de son mariage elle était sincère. Je crois qu'elle avait l'idée de se marier pour la vie... Non, elle n'a pas voulu renoncer à son droit de divorcer, mais elle souhaitait que son mariage durerait. Je crois qu'elle ne pensait pas au divorce au moment de se marier. Elle ne l'a pas formulé, mais je suis sûre qu'elle était convaincue du droit de divorcer si on était malhereux ».

Testimonia haec indubie confirmant *jus divortii* (quod praetenditur) numquam campum voluntatis actricis ingredi potuisse, nam illa — ut mater expresse testatur — « le deplorait ». Nec sufficit dicere Mariam numquam tali praetenso juri expresse renunciasse, ut nullitas consensus evincatur, sed ostendatur oportet eam, positivo voluntatis actu, illud sibi in contrahendo reservasse: quod relata, omnimoda certitudine, excludunt ac negant.

Sed, et non desunt testes alii, qui alia prorsus referunt.

In primis, domina *Magdalena Martha* haec habet: Elle a dit devant moi à son dîner de fiançailles que si elle ne s'entendait pas avec son mari, elle n'hésiterait pas à divorcer. J'ai été fortement frappée de son propos, au point que je me la rappelle encore maintenant ».

Ac maritus praedictae testis, qui praesens non erat convivio illi, paulo post ab uxore sua verba ac proposita Mariae accepit, deque iisdem in judicio et ipse testatur, ex auditu nempe a muliere.

At, ne quid nimis! Agitur enim de verbis obiter inter pocula jactata, quorum memoriam actrix nullimode servat. Quod satis probat nec graviter fuisse prolata, nec proposito serie concepto respondisse.

Adsunt, denique, adhuc duo testes: i. e. dna *Helena Caecilia,* quae refert: « Elle m'a *tousjours* dit, au moment de se fiancer, que si son mariage ne réusissait pas, elle divorcerait », et dna *Dionysia Susanna,* quae dicit: « Avant son mariage, elle m'a declaré qu'elle pensait pouvoir récourir au divorce, si elle n'était pas heureuse. Cette convinction concernait son propre mariage, donc son mariage avec Mr. Faure. C'était 15 jours à 3 semaines avant son mariage. Elle a dit: Si je ne suis pas heureuse, je pense tousjours divorcer. Je ne garantis pas l'authenticité exacte des termes, mais c'est le sens, qu'elle a donné à sa phrase ».

Plura, tamen, obstant quominus testimonia haec tamquam omni exceptione majora recipiantur et credantur. Enimvero:

a) - Informationes super his testibus assumptae optimae non sunt: quod eorum fidem jam suspectam facit.

b) - Incredibile videtur actricem serio talia proposita cum his testibus communicasse, dum ex actis abunde resultat tempus sponsalium plena concordia et amore transegisse, eo quod, ut Maria asserit: « j'étais fière d'avoir pu attirer le plus beau parti d'Anvers ». Puella quae, currentibus sponsalibus, ita sentit, cogitat, loquitur, certissime a divortio, vel tamquam possibili, toto caelo abest.

c) - Cum plus aquae in rivulis quam in fonte esse non possit, absolute reiici debent asserta testium, qui actrici tribuunt id quod ipsa nescit, aut tam obiter ac leviter pronunciavit, ut prorsus e sua memoria evanuerit. Ipsa porro deposuit: « Avant mon mariage, je ne me suis jamais permis des termes aussi flagrants », et, adversus huiusmodi, quorumvis testimoniorum pondus, ut diximus, apte pensari non potest.

2. - Altri invece — e quanto spesso! — infliggono alle prove processuali un supplizio pari a quello di Procuste, il mitico brigante che, con orrende mutilazioni ed atroci sofferenze, raccorciava e distendeva le membra delle sue vittime fin quando le adattasse alle misure del letto su cui erano legate.

Purtroppo, anche nei Tribunali, non mancano Procusti, non leggendari ma veri, che torturano le parole delle parti, le testimonianze, i documenti, i fatti, nell'intento di adattarli alla prova che essi vogliono ottenere a qualunque costo: e ciò in buona o mala fede; cinicamente o con raffinati cavilli, sia pure fioriti di retorica. A volte si direbbe che l'arte del giurista consista nel far dire esattamente il contrario di ciò che la legge o i fatti altamente proclamano.

Contro tali nemici della verità, voi combatterete avvalendovi di un senso sanamente critico e di un fine tatto psicologico. Tanto l'analisi che la sintesi, in materia giudiziaria, hanno per oggetto l'atto umano, e quindi non possono formularsi meccanicamente, con deduzioni puramente logiche, fuori della realtà o ricalcando altri casi precedenti. Uno dei più gravi rimproveri, di cui si possa tacciare un giudice, sarebbe quello di affermare che per lui giudicare equivale ad un « automatismo legale », in quanto da cieco professionista colpirebbe le sue vittime con la propria astrattezza.

Amministrare la giustizia esige, al contrario, una discreta sensibilità psicologica che dovrà portare il nostro giudizio a tanta onestà ed umiltà da osservare le cose ed accettarle così come sono, evitando di travisarle in favore di una tesi preconcetta; sensibilità psicologica che spingerà sempre a vedere la realtà umana nel caso specifico proprio, « i n c a s u ». Espressione questa, oserei dire, sacrosanta, che si ripete in ogni sentenza appunto perchè riassume il fondamento psicologico e giuridico della sentenza intera. « *In casu* »: brevi parole, tante volte ripetute come per un rito, che

vanno però approfondite perchè costituiscono, nella loro indicazione oggettiva, la garanzia di ogni vera giustizia nel processo.

A facilitare tale lavoro psicologico, che impegna integralmente l'uomo nelle sue facoltà, soccorre in somma misura la cultura classica, quella stessa che la Chiesa esige abbiano tutti i suoi Sacerdoti (can. 1364 ss.). Perchè convinti intimamente di ciò, abbiamo creduto opportuno pubblicare, l'anno scorso, un modesto libro su tale argomento [17]. Non vorrei dirvi di meditarlo: mi auguro, soltanto, di cuore che voi, giudici, avvocati, ministri comunque della umana giustizia, siate uomini di profonda cultura cristiana, affinchè da uomini veramente colti possiate giudicare umanamente, o collaborare con tale spirito a giudicare i nostri simili.

* * *

Finalmente avete raggiunto, in tal modo, lo scopo del lavoro di *cognizione*: il vostro giudizio, affermativo o negativo che sia, è però oggettivo, certo, sereno: *video* [18]. Ma quanta fatica vi è costato! quante volte avete dovuto leggere, rileggere, meditare quegli atti oscuri, ambigui, contraddittorii, tra ripetute affermazioni e negazioni delle parti, con l'assillo di dover rispondere a scottanti obiezioni, prime le vostre stesse e poi quelle degli avvocati, e nell'ansia continua di potervi ingannare o di esserlo dagli altri! E tutto ciò è durato per ore ed ore, prolungandosi di giorno ed anche di notte, nel silenzio del vostro studio e nel segreto della vostra coscienza. La gente può anche dire che il giudice ha poco da lavorare o addirittura che non lavora: ma Dio vede e questo vi basta!

* * *

Prima però che la sentenza sia pronunziata dal collegio giudicante, la Legge offre al giudice un ultimo ausilio che sarà insieme garanzia per la salvaguardia della giustizia: ed è la discussione preliminare tra i giudici: « Habeatur moderata discussio sub tribunalis praesidis ductu » (can. 1871 § 3). Tra i giudici, in

---

[17] *Cultura cristiana nella luce di Roma — Per giudicare umanamente*, Roma Desclée, 1956, 110 pp. in 8°.

[18] Lo sguardo del giudice, tanto più accorto in quanto deve rivolgersi al passato, penetra la realtà stessa del fatto: « Rectum judicium in hoc consistit quod vis cognoscitiva apprehendit rem aliquam secundum quod in se est »: II.a II.ae q. 51, a. 3, ad 1.

questo atto tutti uguali ed uniti nella ricerca e nell'amore della verità, riuscirà fecondo quel libero ed aperto scambio di vedute nel quale le ragioni si confrontano, e le obiezioni suscitate si risolvono o rimangono insolute. Poichè è certo che la verità si scopre meglio nell'incontro di argomenti opposti. Tuttavia due norme, insinuate dalla legge, devono essere osservate:

1) La discussione rimane protetta da un rigoroso segreto, ed è per questo motivo che la legge esige che i *voti* scritti dei giudici rimangano segreti (can. 1871 § 2). E' in ciò la garanzia dell'indipendenza del giudice. Mai dovrebbe accadere che i giudici dicano che la sentenza è stata pronunciata all'unanimità, altrimenti, quando non lo affermassero, si saprebbe che uno dei tre discordava dagli altri. Tanto meno dovrà rivelarsi chi ha fatto traboccare la bilancia in un senso od in un altro. In tal modo ciascuno dei giudici rimarrà personalmente al riparo dalle manifestazioni emotive di chi ha vinto e di chi ha perso.

2) Non soltanto il relatore o preside ma i giudici tutti hanno il dovere di andare alla discussione, dopo aver preparato a fondo il processo *in jure* e *in facto*: se qualcuno mancasse a questo dovere, quale luce potrebbe portare agli altri colleghi? Non accadrebbe forse che, influenzato da chi al contrario ha studiato, si lasci suggestionare e giudichi, in conseguenza, sull'opinione altrui piuttosto che *ex actis et probatis?* Perciò la legge obbliga ciascuno dei giudici a recarsi alla discussione preliminare con il proprio voto scritto, ragionato in jure e in facto (can. 1871 § 2). Lo sappiamo benissimo: il giudice ecclesiastico non può pronunziare una sentenza se prima non ha approfondito il punto di diritto che regge la causa e se non ha studiato egli stesso *personalmente* gli atti della causa. E' la miglior garanzia della giustizia ecclesiastica; è il vanto della procedura giudiziaria canonica [19].

Terminata la discussione, è giunto il momento decisivo. Voi conoscete le regole della certezza morale [20]: potranno esse esigere

[19] La stampa degli atti, lasciata dal Codice alla discrezione del Presidente del Tribunale (can. 1863 § 3), nella Sacra Romana Rota è d'obbligo. Con ciò si vuole assicurare il mezzo più facilmente leggibile di riproduzione degli atti stessi ed anche più duraturo, sia per agevolare lo studio di essi, cosa di capitale importanza, sia perchè questi devono essere letti con profonda attenzione dai Giudici, ministri del Tribunale ed avvocati, i quali tutti per anni ed anni — Deo favente — studieranno numerose cause, spesso molto voluminose. Va ricordato che la Santa Sede assume l'onere delle spese di stampa per le cause di patrocinio gratuito.

[20] Can. 1869. — Pii XII, *Allocutio ad S. R. Rotam* 3 octobris 1941, A. A. S. XXXIII (1941), p. 424 s.; 1 octobris 1942, A. A.S. XXXIV (1942), pp. 338-342.

un supplemento d'inchiesta; se lo vietano, la sentenza sarà pronunziata sulla maggioranza dei voti, dati dai giudici secondo la propria coscienza, senza alcun riguardo umano, *solum Deum prae oculis habentes.*

Una volta presa la decisione, dovrà redigersi la sentenza che sarà ragionata, *cum docta et concisa brevitate*: tanto *in jure,* poichè il giudice non deve scrivere un trattato di diritto; quanto *in facto,* non dovendo apparire la sentenza nè come un romanzo nè alla maniera di cronaca giornalistica; gonfiare la sentenza citando lunghi brani dalle deposizioni sarebbe agevole, ma ciò non significherebbe ragionarla. E' più difficile, infatti, stendere una sentenza breve che redigerne una lunga: ma non è dalla sua lunghezza che se ne può dedurre il valore. La sentenza sarà un'opera di verità, di giustizia e di pace, perchè essa è frutto del ragionamento di giudici, uomini retti e colti, i quali, mediante una soda formazione giudiziaria, riescono a dominare, al di sopra delle parti, il processo di cui hanno ponderato gli atti con l'attenzione suggerita dal senso della loro responsabilità.

Conoscete però troppo bene per esperienza la natura umana, per non sapere che sono molto rari gli uomini che, come il buon ladrone crocifisso con Gesù (Luc. XXIII, 41), confessino ed ammettano come giusta la sentenza che li condanna. Poichè il giudice che rende buona giustizia non può piacere a tutti, sarà criticato, calunniato e si creerà nemici: « Judices propter justitiam multos adversarios habent » [21]. Ma « *sursum corda* »: beati quelli che soffrono per la giustizia! Il giudice non compie il suo dovere di giudicare gli uomini per riceverne gratitudine: egli è indifferente tanto alle loro lodi quanto ai rimproveri. Così la sua dignità non dipende dagli apprezzamenti di essi, come neppure dal posto che gli compete in un pubblico corteo. Il Giudice riceve invece la propria dignità da Dio stesso, poichè nel suo augusto e sacro ministero egli rappresenta Dio e ne partecipa l'autorità, « non amministra la giustizia di un uomo, ma quella del Signore » [22]. Forse che non pronunziate voi la vostra sentenza *in Nomine Domini, solum Deum prae oculis habentes?* [23].

---

[21] II.a II.ae q. 70, a. 2, ad 3. — Cfr. INNOCENTIUS III, c. *Qualiter et quando,* 24, X, V, 1, *De accusationibus.* — S. JOANNES CHRYSOSTOMUS, *De Sacerdotio,* 1. III, c. XVII.

[22] II Par. XIX, 6.

[23] Cfr. can. 1874 § 1. — Sulla formula « solum Deum prae oculis habentes » che da secoli chiude le *Decisiones S. R. Rotae,* cfr. JULLIEN *op. cit.,* App. II, pp. 101-108.

Accadrà poi che la parte che si ritiene gravata dalla vostra sentenza potrà, secondo la legge, appellare. Non ritenetelo un'offesa, è un diritto e sapete bene, d'altronde, che non siete infallibili. La parte soccombente adopererà maggior diligenza, mentre la vostra decisione metterà in rilievo i punti deboli che una nuova indagine e nuovi argomenti potranno chiarire. E non vi meraviglierete, quindi, se i giudici meglio informati pronunzieranno un giudizio contrario al primo. Però ricorderete anche con Ulpiano che la seconda sentenza non è sempre migliore della prima [24].

* * *

Dobbiamo, tuttavia, evitare di cadere in un errore molto pericoloso: in quello, cioè, di ritenere più facile il compito del Giudice di Appello di quanto non sia per il Giudice appellato. Nonostante qualsiasi apparenza, è certo che più si sommano gli appelli o i ricorsi e maggiori sono le gravi responsabilità che incombono sui Giudici *superiori*: poichè questi sono *superiori* non solo per grado di giurisdizione, ma devono esserlo anche per le doti di prudenza, di scienza e di esperienza, proprio per il fatto di essere chiamati a giudicare gli stessi giudici inferiori.

Prima di tutto, perciò, il Giudice di Appello si asterrà da ogni preconcetto, favorevole o meno che sia, nutrito nei riguardi del Giudice appellato, e tanto meno si lascerà impressionare dalle critiche, talora aspre o irruenti, mosse con estrema facilità dalla parte appellante contro il giudice appellato, il quale, non più presente, non potrà nè spiegarsi nè difendersi.

Spetterà poi allo stesso Giudice di Appello decidere se sia il caso di esperire o meno supplementi d'istruttoria, che la Legge espressamente non ammette « nisi caute et ex gravi ratione omni fraude et subornationis periculo remoto » (can. 1786).

Raccolte, eventualmente, le nuove prove o acquisiti nuovi documenti, il Giudice di Appello avrà il delicatissimo compito di soppesarli alla luce di tutti gli atti precedentemente raccolti. E' questo uno studio essenziale da cui il Giudice non può esimere se stesso, altrimenti accadrebbe che giudicherebbe la causa non *ex actis et probatis*.

E' perciò evidente che le responsabilità aumentano in proporzione agli atti stessi, e al grado di giurisdizione.

---

[24] Ulpianus, Dig. XLIX, 1 *de appellationibus et relationibus*, 1: « ...neque enim utique melius pronuntiat qui novissimus sententiam laturus est ».

Ne' il Giudice del Tribunale di Appello si faccia egli pure illusioni. Anche per lui, dopo tanto lavoro, comincerà la partecipazione al mistero della sofferenza a causa della giustizia! Ma non si lasci abbattere! Al contrario, rinvigorisca il proprio animo poichè in tutte le sue fatiche egli non ha di mira se non la verità e perchè, secondo l'espressione di Bossuet che mi permetto di non tradurre: « le Juge met toute son étude et son élevation à se rendre parfait dans l'accomplissement de son auguste ministère », altro non cercando che la comunione con l'Eterna Giustizia e resistendo a chi in buona o mala fede tenta di ostacolare l'universale forza della Legge.

* * *

E' terminato così il processo per il quale avete speso per giorni e giorni le vostre energie senza alcun risparmio, come se non aveste altro impegno: il vostro dovere è compiuto, di fronte a Dio e di fronte agli uomini. Ora riprendete di nuovo, dedicando la vostra accresciuta esperienza alla causa successiva, che vi è stata affidata, come se questa fosse la prima: « Cantate Domino canticum novum ». Rendere giustizia o collaborarvi: questa è la vostra vocazione. Amatela: essa, dopo il Sacerdozio, è il vostro grande vanto.

* * *

Ma, al di fuori del Tribunale, possiamo dire che una duplice eventualità si verifica:

1°) Se, terminato il processo, la sentenza divenuta esecutiva dichiara nullo il matrimonio, una situazione già tragica si risolverà col riacquisto dell'agognata libertà. Il Giudice gioirà *in Domino* di aver potuto ridare, nella equilibrata applicazione della Legge, la pace ad anime turbate, e rimettere coscienze sulle vie di Dio. Tanto però la parte quanto l'avvocato si asterranno da qualsiasi manifestazione di gratitudine: questa sarebbe per il Giudice un'offesa alla sua dignità, al suo disinteresse, alla sua delicatezza di coscienza.

Imperturbato resterà l'animo del Giudice pure di fronte alle calunnie che la dabbenaggine oppure la malizia degli uomini non fanno mancare contro la Giustizia Ecclesiastica, cui si imputerebbe l'errore di dichiarare nulli i matrimoni dei ricchi o di coloro che

ipocritamente riescono ad abbindolare l'ingenuità dei Giudici. Che queste e simili dicerie siano infondate, lo mostreranno da parte del Giudice l'integrità della sua condotta, una consuetudine di vita piuttosto appartata ed austera, lontana da ogni dimestichezza con gli avvocati e da qualsiasi relazione con le parti, tranne che nelle Udienze in Tribunale. Quanto poi all'avvocato, egli avrà costante attaccamento all'equità dei regolamenti evitando di dare motivo alle accuse di coloro che, confondendo le spese giudiziarie — del resto assai modeste nel Foro ecclesiastico — con gli onorari di patrocinio, non senza ragione, talvolta, sono portati ad affermare che le cause matrimoniali costano care. Donde si può rilevare quanta responsabilità gravi sull'avvocato che manchi al proprio dovere.

2°) Se poi, esauriti tutti i mezzi ordinati dalla prudenza della Chiesa al processo nelle cause matrimoniali, la sentenza negativa passa in esecuzione, ben di rado un atto di viva fede interviene a far sottomettere con rassegnazione le parti all'ineluttabilità della Legge e a far accettare con fiducia nella Provvidenza una situazione dolorosa. Più frequente è invece il lamento provocato da un'amarissima delusione ed aspro nei riguardi del Giudice, accusato di durezza ed incomprensione. L'animo, esarcebato e sobillato dalla propaganda mossa a favore del divorzio, si ribella contro la legge della Chiesa, cui si addebita di essere arretrata, inumana, addirittura crudele, e contro Dio!

Ma allora sorge in chi ha cura di questa anima il dovere di non abbandonarla in simile situazione esasperante. Se il Parroco deve applicare le prescrizioni del diritto e seguire le norme della Teologia morale, ha obbligo di farlo *in omni bonitate et patientia* (cfr. can. 2214 § 2). Prima però di questo dovere particolare in chi ha la cura delle anime, ve n'è uno generale, più urgente, quello cioè di controbattere la campagna accanita, clamorosa e perfida, scatenata contro il matrimonio cristiano e contro la compagine della famiglia. Il miglior modo di rispondere alle accuse lanciate contro la dottrina della Chiesa è di insegnarla, mostrandone il fondamento divino ed umano: solo il matrimonio cristiano, indissolubile, unitario, può assicurare la santità, l'unità, la stabilità, la missione divina della famiglia, cellula della società e della Chiesa. Per conseguenza, è necessario aggiungere all'insegnamento la preparazione degli sposi: spirituale e morale, spettante alla Chiesa; la quale, poi, affiderà a competenti quella giuridica, medica, economica.

Così potremo completare con la cura pastorale ciò che iniziammo per sollecitudine pastorale, giacchè lo scopo del Diritto Canonico, il fine della Chiesa è solo la salvezza delle anime.

* * *

Signori! Reverendissimi Sacerdoti!

La coscienza di tanta responsabilità non dovrà essere per voi di ostacolo, ma piuttosto di incoraggiamento, perchè frequentando lo Studio Rotale avrete ricevuto un'adeguata preparazione, acquistando lo spirito genuino della giustizia ecclesiastica: *juris prudentia, pro rei veritate;* e formandovi al suo metodo: riflettere sulla legge e sul fatto, per giudicare da uomini colti, *ex actis rimatis, in casu.*

E al grido della coscienza umana:

Homine imperito numquam quidquam iniustius, voi rispondete: « Ci siamo consacrati animo e cuore a prepararci al nostro ministero giudiziario, perchè i nostri Superiori e noi stessi, assecondandoli, abbiamo sentito il pressante desiderio della Chiesa: « *ut electi juvenes ad processus rite conficiendos atque ad recte judicandum erudiantur, justitia ac veritate ducibus* »[25]. Signore, fonte e sostegno di ogni giustizia, i nostri pensieri, le nostre parole, i nostri atti saranno dediti all'adempimento della Tua Giustizia: « semper ad Tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera ».

Eletta gioventù, speranza della giustizia ecclesiastica: con immensa gioia accogliamo questa risposta data da voi, venuti in numero di oltre cento non soltanto dall'Europa, ma pure dall'Africa, dall'Asia, dall'Oceania, dalle due Americhe, qui allo Studio Rotale, presso la Santa Chiesa Romana Vostra Madre, allo scopo di formarvi al servizio della giustizia, per il bene pubblico, per la salvezza delle anime, nel posto e nell'ufficio che la Chiesa vi affiderà nel Corpo Mistico.

Gaudet
« sancta Romana Ecclesia, quae mater justitiae est! »[26].

ANDREA JULLIEN
Decano della S. Romana Rota

---

[25] Cit. Instr. S. C. de Sacramentis, *Provida Mater,* Prooem.
[26] Dictum Gratiani, post can. 16, c. XXV, q. 1.

REVOCATIO DELEGANTIS DELEGATO DIRECTE INTIMATA.

Alphonsus, parochus, duos habet vicarios cooperatores, Martinum et Simonem. Alphonsus potestatem assistendi matrimoniis in paroecia celebrandis habitualiter delegat Martino, non autem Simoni, quem reputat non satis expertem. Aliquo die, post brevem absentiam a paroecia, citius quam sibi proposuit rediens, casu detegit Simonem adstiturum esse matrimonio crastina die celebrando, ad hoc subdelegatum a Martino. Aliqualiter iratus contra Martinum, vocat Simonem eique dicit: « non mihi placet quod tu adstiturus es huic matrimonio, ego hoc faciam et revoco delegationem a Martino factam ».

Nocte parochus vocatus apud aegrotum, rediens curru automobili invehitur. Automobilista eum ad nosocomium civitatis vicinae defert, ubi medicus eum iubet per aliquos dies manere. Statim, summo mane, rector nosocomii telephonice rem nuntiat domui paroeciali. Hoc audiens Simon assistit matrimonio, quin aliam a Martino petere et obtinere possit subdelegationem; hic enim iam paroeciam reliquit ut assistat congressui. Quaestionem de necessaria potestate assistendi Simon in suum favorem resolvit hac ratiocinatione.

In canone 207 § 1 statuitur potestatem delegatam exstingui revocatione delegantis delegato directe intimata. Obtinui meam potestatem subdelegatione a *Martino*. Ipse ergo est ille *delegans*, de quo loquitur canon. Martinus autem non revocavit hanc meam potestatem. Quare, haec potestas non est efficaciter revocata seu exstincta. Ergo adhuc gaudeo potestate assistendi. Revocatio facta heri a parocho non est valida; nam non est facta ad normam canonis 207. Sane, in circumstantiis ordinariis non uterer hac potestate, ne agam contra voluntatem parochi clare manifestatam. Sed evidens est quod in his adiunctis extraordinariis parochus non tantum permittit, sed etiam vult ut assistam et sic provideam casui urgenti. His dictis, Simon assistit matrimonio. Estne validum hoc matrimonium?

In iure. - Verba canonis 207 § 1 sic sonant: « potestas delegata exstinguitur revocatione delegantis delegato directe intimata ».

Delegationem a Martino fuisse valide factam, certum est. Ipse enim a parocho obtinuit potestatem assistendi habitualem seu ad

universitatem negotiorum. Huiusmodi potestatem delegatus subdelegare potest in singulis casibus, vi canonis 199 § 3.

Etiam certum est verba canonis 207 § 1 « revocatione delegantis » esse intelligenda de delegante in sensu *generali*, ita ut etiam comprehendant subdelegantem relate ad potestatem ab eo subdelegatam. Communiter enim seu nisi proprie agatur de distinctione inter delegantem et subdelegantem; delegationem et subdelegationem, (sicut fit in ipso canone 199), potestas *delegata* habet sensum generalem quo opponitur potestati *ordinariae*, sed complectitur potestatem *subdelegatam*. Quapropter Martinus potuit revocare potestatem Simoni subdelegatam, revocatione scilicet Simoni directe intimata [1].

Revocationem a parocho fuisse Simoni *directe intimatam*, etiam in dubium vocari nequit.

Dubium solvendum circa interpretationem canonis 207 § 1 respicit competentiam delegantis revocandi potestatem tertiae personae subdelegatam ab alio, cui ipse hanc suam potestatem (ordinariam) delegavit.

Agitur proinde de interpretando canone 207 ad verba quod attinet: *revocatione delegantis*. Sponte enim surgit quaestio utrum haec verba, etsi intellecta in sensu generali, habeant sensum *exclusivum*, ita ut capacitatem revocandi potestatem delegatam restringant ad solam personam, quae fuit delegans seu cuius actu potestas, sive delegata sive subdelegata, alteri est communicata. Ratio movendi dubium fundatur in ipso textu. In una enim clausula plura simul continentur. De revocatione enim dicitur quod debet esse: 1. delegantis; 2. facta determinato modo, scilicet delegato intimata et quidem directe intimata.

Ad solvendum dubium rationem habere debemus ad hoc quod in huiusmodi formulis compositis facile contingere potest ut attentio et voluntas legislatoris potius directa sit ad unam partem, praecipue si sit principalis, et ad aliam partem Legislator non plene attendat. Legenti totum textum legis clarum est Legislatorem voluisse praeprimis et principaliter statuere *modum quo* revocatio fieri debeat, ut sit valida et efficax. Quod *revocatione* potestas exstinguatur est luce clarius; hoc fit natura rei, independenter a iure positivo. Iure positivo hic statuitur quod potestas delegata exstinguitur sola revocatione qualificata, scilicet: a revocante ipso directe intimata ipsi delegato.

Proinde oritur quaestio, utrum Legislator usu verbi « revo-

[1] Vide : L. Bender. *Potestas ordinaria et delegata*: Romae, 1957, (Apud Desclée), n. 22

catione *delegantis* » voluerit etiam aliquid statuere et determinare circa *personam capacem revocandi*, a. v. an hoc verbo voluerit etiam quoad personam quae revocare potest restringere ius quod natura rei valet. Mihi videtur quod hoc noluit. Mea sententia Legislator adhibet verbum « delegantis », quia communiter ille qui revocat potestatem est ille qui delegavit (subdelegavit). Legislator non cogitavit de determinanda *persona* competente, sed de determinando *modo* quo persona de iure competens revocationem perficere debeat ut ipsa sit efficax. Verba canonis: *revocatione delegantis* in contextu stant pro « revocatione facta a *persona competente* ad revocandum ».

Dantur rationes graves amplectendi hanc interpretationem sane non omnino litteralem. Ipsa enim exigitur, ne perveniamus ad aliquod absurdum in iure. Insuper principium generale iuris in Codice consecratum, graviter suggerit hanc nostram interpretationem.

Revera, si tribuamus verbo « delegantis » sensum exclusivum, ita ut designat solam personam quae alteri delegavit, a potestate revocandi exclusi manerent non solum ii, qui nullo titulo sibi hoc ius vindicare possunt, e. g. parochus S. Agnetis relate ad potestatem delegatam a parocho S. Viti. Ad huiusmodi personas excludendas non indigemus lege positiva. Sed etiam exclusi remanerent *omnes* praeter personam quam ipse delegavit. Excluderentur omnes superiores huius delegantis, etiam ii qui sunt superiores proprie in ordine potestatis ad quem potestas delegata pertinet. Sequeretur ut potestatem delegatam a parocho, revocare nequiret Ordinarius loci neque S. Sedes; sequeretur ut potestatem delegatam a superiore locali religiosorum revocare non posset superior provincialis vel supremus ordinis moderator. Hae consequentiae continere absurdum iuridicum evidens est. Insuper, interpretatio est contraria principio iuridico in Codice consecrato, vi cuius statuta est lex: a lege dispensare potest non tantum ipse legislator sed etiam eius *superior* (c. 80). Idem principium sancitur in c. 60 § 1: « rescriptum per peculiarem superioris actum revocatum perdurat usque dum revocatio ei, qui illud obtinuerit, significetur ». Hic canon expresse loquitur de *superioris* revocatione, non de *rescribentis* revocatione. Superior non est solus rescribens, sed et eius superior.

Hic canon 60 etiam directe ducere videtur ad interpretationem verbi *delegantis* in canone 207, quam nos proponimus. Etenim, etiam delegationes fieri solent rescriptis. Quapropter, etsi non omnino necessarium tamen valde probabile est quod pro revocatione rescriptorum et pro revocatione delegationis eaedem vigent

normae relate ad personas quae revocare possunt, scilicet huiusmodi actus revocari possunt non solum a persona ipsa quae eos posuit sed etiam ab eius superioribus [1].

Concludendum est: clausula « revocatione delegantis » in canone 207, § 1 non intendit a capacitate revocandi delegationem excludere alios, qui natura rei sunt competentes revocandi potestatem de qua agitur. Sequitur clausulam « revocatione *delegantis* » in c. 207, § 1 non habere sensum illum exclusivum, quo excluduntur alii a capacitate revocandi aliquam potestatem delegatam vel subdelegatam. Tenor canonis est ut statuatur *modus* quo potestas delegata efficaciter revocatur et ad hoc Legislator usus est verbo « revocatione *delegantis* », quin voluerit statuere aut indicare quae sint personae competentes peragendi hanc revocationem.

Statuto canonem 207 non designare personam vel personas competentes ad revocandam potestatem delegatam, sequitur nos debere aliunde obtinere responsionem ad quaestionem: qui sunt competentes revocandi potestatem delegatam? Aliunde, hoc est sive a iure positivo sive a iure naturali et principiis et normis generalibus iuris. Ex hisce videtur sequi ut revocare possint: 1. praeprimis persona ipsa, a qua immediate delegatus suam potestatem delegatione aut subdelegatione obtinuit. Hoc ita esse deducitur non solum ex natura rei sed etiam ex textu explicito canonis 207, § 1. 2. superior delegantis vel subdelegantis, dummodo sit superior in ordine ad quem pertinet potestas delegata.

Sic Ordinarius loci potest revocare potestatem dispensandi aut audiendi confessiones delegatam aut subdelegatam a parocho vel rectore sanctuarii ad territorium Ordinarii pertinentis. Eandem autem potestatem Titio concessam vi delegationis factae ab Am-

---

[1] Qui ad utrumque canonem simul attendit, observat in c. 60 deesse verbum « directe », ita ut c. 60, saltem explicite, non requirat, quod in canone 207 pro revocatione potestatis delegatae explicite requiritur, nempe ut revocatio *directe* significetur seu intimetur. Suntne revera hi duo canones sic interpretandi, ut ille minus exigat quam hic? Qui hoc admitteret, debet admittere aut quod ad revocationem rescripti sufficiat quaecumque significatio (etiam indirecte facta). Attamen, non pro *omnibus* rescriptis. Requireretur *directa* significatio seu intimatio, quoties in rescripto concessa fuerit potestas delegata. Aut quod pro revocatione potestatis delegatae directa intimatio requiritur, sed non pro omnibus casibus. Directa intimatio non requireretur, quoties agatur de potestate delegata *rescripto*. Huiusmodi interpretatio non videtur admittenda. Verba c. 60 « usque dum revocatio ei, qui illud obtinuerit, significetur » videntur intelligenda de *directa* significatione seu intimatione, a rescribente facta ei, qui rescriptum obtinuit. Vide: L. Bender. *Potestas ordinaria et delegata*. n. 124-126.

brosio parocho et religioso non potest efficaciter revocari ab Ambrosii superiore provinciali.

Hic enim est quidem Ambrosii superior, sed non in ordine rerum ad quam pertinet delegatio et potestas delegata, quam Ambrosius delegando Titio concedit. 3. Successor delegantis in potestate quam hic delegavit videtur posse revocare delegationem, saltem si agatur de delegatione potestatis *ordinariae*. Propterea, successor Ordinarii loci potest revocare potestatem delegatam quam eius praedecessor alicui sacerdoti delegavit. Ad quaestionem utrum hoc etiam valet pro alicuius successore in aliqua potestate *delegata,* videtur respondendum quod delegati non habent successores in sensu proprio. Eorum potestas morte vel alia causa cessat et, si casus ferat, alius *alia delegatione* obtinet eandem potestatem. 4. Quid autem dicendum de delegante, quoties agatur de revocatione potestatis subdelegatae a persona, cui ipse hanc potestatem delegatione concessit? Et hoc sive subdelegatio facta fuerit ex iuris statuto sive ex concessione speciali data a delegante? Quoties delegans est superior subdelegantis, in sensu sub n. 1. statuto, ipse certo habet facultatem revocandi. Tunc casus proprie comprehenditur sub n. 1. Sed non omnes delegantes sunt *superiores* eorum quibus potestatem delegant. Parochus non est superior sacerdotis simplicis cui delegat aliquam potestatem; Ordinarius loci non est superior sacerdotis ad aliam dioecesim pertinentis, cui tamen delegat potestatem audiendi confessiones pro periodo qua commoratur in sua dioecesi. Imo, parochus non est proprie superior vicariorum cooperatorum suorum; saltem non in ordine strictae iurisdictionis.

Tenendum videtur non solum personam quae delegavit, sed etiam personas a quibus subdelegans obtinuit potestatem quam subdelegatione aliis communicavit, posse revocare subdelegationem factam. Hoc sane non statuitur in iure positivo, neque in canone 207 neque in aliis partibus Codicis. Sed cum Codex hanc materiam non regit, ipsa regitur iure naturae. Ex natura rei autem videtur sequi quod persona, a qua procedit potestas quam alius habet et deinde tertio subdelegat, habet potestatem revocandi aliquam potestatem subdelegatam, quae est participatio potestatis seu iurisdictionis ab ipso delegante concessae. Hac ratione videtur statuendum parochum posse efficaciter revocare potestatem subdelegatam a suo vicario cooperatore, cui ipse delegatione concessit hanc potestatem.

In Facto. - Alphonsus, parochus, revera est persona, a qua Martinus, vicarius, delegatione obtinuit potestatem, quam ipse Si-

moni subdelegatione dedit. Quapropter Alphonsus erat competens revocandi potestatem quam Simon tamquam subdelegatus obtinuit et possidebat. Et cum quoad modum, revocatio ab Alphonso facta est ad normam iuris scilicet « revocatione a revocante directe delegato intimata », ab Alphonso directe intimata Simoni, nam *personaliter viva voce,* revocatio est valide et efficaciter facta. Ea peracta, Simon non amplius habebat potestatem assistendi matrimonio.

Sequitur matrimonium esse invalidum ob defectu formae, quia assistens carebat potestate requisita ad validitatem, ad normam cc. 1094-1096.

Notanda. - Soluto casu, quaedam notare nos iuvat:

1. Martinus non egit male aut imprudenter, subdelegando Simoni pro hoc determinato matrimonio potestatem assistendi, quamvis sciret parochum noluisse Simoni dare delegationem habitualem. Aliud enim est alicui dare potestatem habitualem, aliud dare potestatem pro uno negotio tantum, maxime si hoc iam est omnino praeparatum. Sed etiam si haec subdelegatio fuisset facta *contra beneplacitum parochi,* ipsa nihilominus fuisset *valide* facta, ut patet ex canone 203 § 2.

2. Simon valde imprudenter egit interpretando tam praecipitanter canonem in casu sane non simplici et simul tantae gravitatis. A rectitudine enim huius interpretationis dependere validitatem matrimonii, ipse optime sciebat.

3. Nec admirare possum prudentiam Alphonsi parochi in hac re manifestatam. Melius fuisset non revocare potestatem quam Simon iam possidebat. Data enim erat ad hoc matrimonium tantum. Parochus potuit id quod intendebat aequo modo attingere absque revocatione, declarando quod ipse, nunc reditus in paroecia, esset matrimonio adstiturus. Parochus certe non potuit praevidere incommoda, quae casu secuta sunt ex sua revocatione. Sed cum huiusmodi res contingere possunt, melius est non revocare, quoties revocatio nullam habet utilitatem.

L. Bender, O. P.

DE OCCULTISMO ET PARAPSYCHOLOGIA

Divinatio et magia semper arcano quodam modo hominem alliciebant. Numquam non defuerunt, qui asseverarent se obscuram seu « occultam » possidere scientiam, quae communem hominum cognitionem longe superaret, eamque se capaces reddere aliorum commodo aut incommodo faciendi res, quibus non-initiati impares essent. Testes autem eorum actionum interdum extraordinariarum plerumque proni erant ad existimandum bonos malosve spiritus se rei immiscere.

Qui occultismus recentioribus temporibus veste magis scientifica indutus est, cum medicus Vindobonensis Fr. A. Mesmer (1734-1815) non solum magnetismo physico corporum caelestium inter se attrahentium impulsum quendam in nervos nostros attribueret, sed etiam invento suo magnetismo « animali » se novam omnino medendi rationem invenisse censeret. Aegrotos suos variis artibus in somnum artificiosum (« somnambulismus ») induxit, quem « magnetico quodam fluido » a semetipso emanante productum esse affirmabat. Cum molestiis pressus Lutetiam Parisiorum emigrasset, ibidem suam medendi rationem promulgans initio magnum habuit successum, ita ut « mesmerismus » ad tempus usu receptus fuerit. Sed iterum ob molestias exortas emigrare coactus est.

Revera eius « somnus artificiosus » non multum differebat a somno « yoga » veterum Indorum neque a somno « sacro » Aegyptiorum. Et chirurgus Britannicus James Braid (1795-1860) innumeris experimentis demonstravit non ab alienis viribus illum soporem effici, sed quacumque nimia alicuius sensus irritatione produci posse, immo iam obtutu diu in re nitenti defixo illam singularem somnolentiam, cui ipse primus nomen » hypnoseos » indidit (1841), perfici posse.

Attamen verus pater « hypnotismi » fuit Ambr. Liébeault, fundator « scholae Nancy » quae dicitur, ad quam psychiater quoque Hyp. Bernheim pertinebat, et ex qua Em. Coué necnon medici Batavi A. W. van Renterghem et Fred. W. van Eeden, qui et notus scriptor, eorumque psychicus curandi modus prodierunt. Secundum Liébeault non arcanum quoddam « fluidum magneticum », sed *suggestio* praecipua phaenomenorum hypnoticorum causa existimanda est, imprimis suggestio verbis facta, qua, ut admonuit Bernheim, serpens iam tum usa est, cum in paradiso Adamum atque Evam in peccatum induxit. Qua et Coué inter alia utebatur aegro-

tos suos perpetuo repetere iubendo: « Omni die et ex omni parte melius meliusque valeo ».

Reapse numerosa phaenomena quadam cum probabilitate suggestione explicari potuerunt: ut anaesthesia et hyperaesthesia, « paranormales » perceptiones sensuum, ita ut bulbus solani tuberosi sapiat malum Epiroticum et aliquis ulnis legat genibusve; efficacitas medicamentorum « in distans »; curatio perturbationum nervorum, ut agoraphobiae et linguae haesitantiae; emendatio noxiarum atque vitiosarum consuetudinum; immo verrucae suggestione sublatae sunt necnon pustulae ustionis et papulae sanguineae (« stigmata ») autosuggestione productae sunt. Sed restabant phaenomena paranormalia cognitionis et actionis, quas sola suggestione explicari non posse apparebat ideoque ulteriores explicandi modi quaerendi erant.

Interea cum nascente « spiritismo » scientia occulta novam viam ingressa erat. Etiam in consessibus (« séances ») spiritistarum apud personas interpositas, quas « media » appellant, dum in somno artificiali versantur, comparuerunt phaenomena paranormalia, quae iuxta eos naturaliter explicari nequierunt, sed solummodo ex interventu spirituum et animarum defunctorum. Quem interventum fieri posse dicunt, quia defuncti per determinatas personas ad hoc aptas (« medium ») tamquam per tubulos voci transmittendae denuo cum hominibus adhuc in terra degentibus commercium habere possint. Id quod Jean le Clerc (seu *Clericus*, Arminii de grege professor), olim Amstelodami docuit, ipsi quoque tenent, scil. animam humanam non immediate corpori esse coniunctam, sed per elementum quoddam conglutinans, quod corpus « aethereum » vel « astrale » vocant, quo anima etiam post mortem tamquam suo vehiculo (« perisprit ») praedita manet. Quodsi « medium » versatur in exstasi seu animi abalienatione, quam « trance » dicunt, plerumque capax est ad actiones supranormales necnon ad emittendum proprium corpus « astrale » et ad habendum ita commercium cum anima alicuius defuncti, cui est corpus astrale corpori astrali « medii » congruens.

Hoc desiderium habendi cum mortuis commercium tam vetus est quam ipsum hominum genus: magia ac necromantia semper coniunctae atque consociatae fuerunt. Apud gentes rudes sacerdotes ut necromantici munere « medii » fungebantur; apud Indos Americae medici, apud Indos Asiae ii qui dicuntur « fakir »; in Africa et Australia magae magique. Veri autem praecursores spiritismi existimari possunt « pneumatologi » qui dicuntur: discipuli vatis Sueti ac conditoris « Ecclesiae novae Hierosolymae » Em. Swedborg

seu *Swedenborg* (1688-1772), cui, cum asseverasset se in urbe Göteborg commorantem initium ingentis incendii in urbe Stockholm, quae a Göteborg plus 33.000 passuum abest, « vidisse », Im. Kant, eius tempore aequalis, libellum criticum dedicavit [1], quo rem satis refutabat. Attamen ipsius spiritismi incunabula fuerunt America, ubi a. 1844 sutoris famulus, Andr. J. Davis, ad modum nuntii cuiusdam prodiit animarum hominum defunctorum. Assectatorum numerus augeri coeptus est, cum a. 1848 in urbe Hydesville mulier quaedam nomine Fox se a nocturnis spiritibus pulsantibus, verisimiliter suis filiabus, quominus obdormisceret impeditam cum « spiritu » cuiusdam institoris occisi constans commercium habere coepisse diceret. Nova res cito Europam invasit, ubi iam a. 1854 de epidemica mensarum saltatione sermo erat, et spiritus mensae pedibus pulsantes et per « medium » scribentes vulgo prodire coeperunt. Immo directe loquendo atque scribendo se manifestaverunt.

Quod haec, ut ita dicam, merces importata adeo placuit, ex eo explicari potest, quod magis quam illa pneumatologorum commenta notam quandam formamque religionis prae se ferebat. Revera plerique spiritistae doctrinam suam speciem cultus Dei existimant: rem oppositam materialismo physico, qui menti humano diu satisfacere nequit. Saepe igitur, speciatim in Britannia, sese « spiritualistas » appellant. Sed est Dei cultus, qui fide caret eiusque professione. Quodsi passim sermo fit de « spiritistis revelationis », hi nullam agnoscunt revelationem, nisi eam, quae e nuntiis spirituum hauritur: Christum Deum esse negant; Christus iis non est plus quam « medium » praecellentis formae, et solummodo qua talis ab iis magni aestimatur iisque exemplo est. Idcirco christianae religionis nomen spritismo dari nequit. Admittit quidem vitam post mortem futuram et copiam perpetui cum mortuis commercii, sed ignorat christianam de aeterna damnatione et remuneratione doctrinam et, quae cum illa doctrina cohaerent, graviora morum praecepta: cuncti demum in « terram aestatis » perveniemus.

Quod ultimum eius quoque explicat vim alliciendi atque attrahendi hominum animos necnon celerem propagationem. Congressui internationali, a. 1948 Londini habito, legati ex 21 nationibus interfuerunt, et eorum, qui « Societati internationali spiritistarum foederatorum » adhaerent, numerus vicies millies milium esse dicitur. Praesertim Brasiliani ad eum inclinati esse cognoscuntur. In Batavia imprimis diffusus est ab Elisabeth C. F. van Calcar Schio-

---

[1] *Träume eines Geistersehers, erläutert durch Träume der Metaphysik* (1765). Kant recusat commercium Swedenborgi cum animabus mortuorum; eum appellat « hominem omnium ineptissimum » (« Erzphantast unter allen Phantasten »).

TLING (1822-1904), quae una cum viro suo, H. C. van Calcar, commentarium menstruum « Op de grenzen van twee werellen » divulgavit, qui tamen paulo post eius mortem edi desiit: efferebat munus « medii » ut verum fontem « spiritualismi », quo nomine et ipsa potissimum utebatur, simulque fontem omnium facultatum viriumque spiritualium. Editae sunt aliae quoque *ephemerides spiritualisticae:* in Belgio « Spiritualisme moderne », interpres societatis « Union spirite Belge ». Hodie societas « Spiritualistische Geloofsgemeenschap » (communio fidei spiritualisticae) asserit se in sola urbe Amsterdam 20.000 socios numerare.

Neque est, etiam in Europa, infima plebs, quae spiritismo favet. E contrario potissimum homines fortunis bene ornatis litterisque tincti eum maxime approbant. Immo incensos discipulos habuit inter eximios viros doctos, ut astrophysicum J. K. Fr. Zöllner, zoologum, A. R. Wallace, chemicum W. Crookes, victorem praemii Nobel. Non defuerunt tamen, qui cum Max Dessoir [2] fere omnia spiritismi phaenomena captiosas fraudes haberent. Varia « media » alternis vicibus prodierunt: D. D. Home, Eusapia Palladino, fratres Rudi et Willy Schneider, Leonarda E. Piper et Osborne Leonard, Lotte Plaat, Slade, Eglinton, qui omnes sua sponte medicos ac professores tamquam censores arcanarum suarum actionum admittebant. Quod nonnulla « media », etiam clarissima Eusapia Palladino, scribendi imperita, in fraudibus de industria factis deprehensae fuerunt, dissimulabatur dicendo « medium » optime scire se non semper capacem esse ad actiones, quae expectantur, exsequendas et, quod perspicuum est, eorum, qui consessibus (« séances ») adsunt, spem non ab omni parte fallere velle. Ceterum haec res ad sensuum ludibrium animique errorem praeprimis idonea est. Profecto verum physicum cum mortuis commercium reapse locum habuisse adhuc non constat. Pleraque spritismi phaenomena tamquam clarae intuitionis (« clairvoyance ») ac cogitatorum translationis phaenomena explicari possunt.

Spiritismus, ut ita dicam, via est ad hodiernam scientiae occultae formam empirico-psychologicam. Ex eo quod tot viri docti phaenomenis spiritismi critice studebant, factum est, ut occultismus sensim in scientiam excreverit imprimis empiricam variorum phaenomenorum, quae ex notis viribus legibusque non seu nondum explicari possunt. Haec phaenomena *para-normalia* quae dicuntur,

---

[2] M. Dessoir, *Das Doppel-Ich* (1890); *Der Okkultismum in Urkunden* (3 partes 1925); *Vom Jenseits der Seele* (1917, ed. 6, 1931).

quae revera omni tempore evenerunt, medio saeculo XIX argumentum fiunt investigationis via ac ratione scientifice factae.

Sermo erat de Henologia seu scientia altissima, de Metapsychica seu doctrina (« Jenseits der Seele ») de « ultra tumbam », de Metapsychologia seu doctrina de insolitis animae phaenomenis, de « Psychical Research » seu investigatione phaenomenorum psychicorum « paranormalium », et his ultimis temporibus praesertim de *Parapsychologia.*

Quae Parapsychologia qua indagatio scientifica phaenomenorum non normalium (a-normalium), quae secundum eam ex efficientia subconscientiae prodire videntur, se dicit scientiam, quae vulgarem psychologiam empiricam complet: psychologiam magis particularem, quae iuxta (para) communem psychologiam locum suum tenet. Pariter atque illa, ratione argumenti, inter humani ingenii operum scientias (« Geisteswissenschaften ») numeranda est et per methodum suam empiricam prope accedit ad disciplinas exactas (« Naturwissenschaften »): *observat,* colligit, describit, explicat enodatque non solum quae sponte prodeunt phaenomena paranormalia, quatenus ei innotescunt, sed etiam *experimentis* in officina actis procedit, ut inter alia veritatem horum phaenomenorum statistice definire conetur.

Suum existimat, inquit W. H. C. Tenhaeff, occultis phaenomenis eorum occultismum adimere.

Sicut apud antiquos iam *divinatio* et *magia* distinguebantur, ita usque adhuc horum occultorum sive parapsychologicorum phaenomenorum (psi-phaenomena) duo praecipua genera distinguuntur: *paranormalis* scil. *cognitio* (paragnosia seu metagnomia), quae neque ullo modo nobis cognitio via sensuum neque ulla argumentatione rationali acquisita esse potest (psi-gamma-phaen.) et *paranormalis actio* (parergia seu pragmasia) ,qua non via ordinaria (tramite cerebri, nervorum, musculorum), et ubi de re extra corpus agitur, sine ullo contactu physico vis exercetur in varias res (psi-kappa-phaen.).

Cognitio paranormalis denotat *passivam* animi facultatem ad modo paranormali impressiones accipiendas ac cognitiones acquirendas de rebus, quae pertinent:

1° ad *physica:* tum res factaque, quae nunc sunt sed loco longe distant, tum ea quae praeterita aut futura sunt neque modo naturali cognosci possunt. Heic sermo est de *clara intuitione* (« clairvoyance ») quoad spatium et quoad tempus (actualis paragnosia; retrognosia ac prognosia). V. gr. videre incendium vel calamitatem,

quae in loco valde distanti accidunt; cernere res personasque occultas vel amissas. Ministri publici non raro et, ut fertur, feliciter ea « kryptoscopia » (= cernere rem oculo corporis absconditam) paragnostarum usi sunt. Item virgae divinatoriae usus, cuius adhuc sub iudice lis est, et somnia atque praesensiones, quae de aliqua re praemonent, et universe omnis vaticinatio ac divinatio phaenomena clare intuitionis existimantur. Qua in re notabiles eventus obtinuit Tenhaeff una cum paragnosta G. Croiset, noto ob experimenta de sellis acta, ubi, quisnam in aliquo conventu in certa sella sit sessurus, definit.

Exsistere claram intuitionem certum est; immo videtur eam esse qualitatem, saltem latentem, omnium hominum communem. Cum nonnulli eam ex interventu mortuorum (spiritistae), immo daemonum explicent, parapsychologia e contra animisticam quandam dat explicationem: anima personae vivae videtur, praesertim quando mentis minus compos est, quasi foras exire posse et alibi perceptiones facere (« theoria discessus »).

2° ad *psychica:* ut ea quae in mente alterius fiunt. Tunc sermo fit de *legendis* vel *transferendis cogitatis* (« telepathia »), ubi fragmenta alienae conscientiae in nostram, ut ita dicam, incidunt. Clara intuitio et telepathia, quae saepe consociatae sunt, melius quam in casibus spontaneis distingui possunt in experimentis parapsychologicis. Telepathia opponitur clarae intuitioni, quatenus ibi semper de duabus personis agitur, altera « mittente », « recipiente » altera. V. gr. cum amico per telephonium collocuturus ad telephonium accedis et ecce! amicus iam ex altera parte ad telephonium adstat; iter faciens repente de aliquo recordaris, quem ab annis non vidisti, et paulo post en! in eum incidis.

In telepathia spontanea distantia nullius momenti est, et recipiens translationis telepaticae conscius fieri potest aliquanto postquam a mittente profecta est. Eius causa plerumque est aliqua fortis commotio, cui non raro, praecipue in somno, imago quaedam (phantasma) mittentis consociata est: ita mater somnians filium videt peregre habitantem, qui moriens ei annuendo supremum vale dicit.

Peculiaris telepathiae forma est psychometria quam dicunt: facultas, tangendo res tamquam « inductores », de earum domini vita psychica iudicandi.

Pseudo-telepathia, qualis in circulis more ludentium exercetur, ubi ab aliquo, cum aut sine duce, v. gr. res abscondita investigatur, sensuum perceptionem non excedit, sed potius in hyperaesthesia posita est, i. e. in insolita sensuum virtute: explicari potest ex observatione musculorum vel ex susurru non voluntario. Iam-

vero de vera telepathia idem dicendum est ac de clara intuitione: eam exsistere constat, et, quamvis haec facultas plerumque lateat, aliquando se in quolibet homine aperte manifestare poterit. Hac quoque in re nonnulli dicunt mittentem aliquid sui mittere seu praemittere (« theoria discessus »), sed probabilis huius phaenomeni paranormalis explicatio adhuc dari nequivit, unde non sequitur, quod in causis praeter-aut supernaturalibus quaerenda sit.

3° ad *metaphysica:* huc pertinent imprimis variae notitiae de personis rebusque, normali modo non acquirendae, quae in consessibus (séances) spiritistarum « medii » interventu ab animabus defunctorum se manifestantibus afferuntur.

Sed phaenomena paragnosiae, quae hac in re eveniunt, plerumque tamquam phaenomena clarae intuitionis aut telepathiae explicari possunt. Saepe et cum his consociata sunt, uti apud « crystalli spectatores » (scryers) regionis montanae Scotiae, qui ad exemplum Joannis Dee (1527-1608) se in statum hypnoseos inducunt defigendo obtutum in crystallum globumve vitreum, quorum pars posterior est obscura, ac deinde ex visionibus atque hallucinationibus spirituum necnon daemonum, quibuscum se habere commercium dicunt, revelationes ac vaticinia proferunt.

4° ad *astronomica:* doctrina de influxu, quem praesens corporum caelestium status in futuros eventus terrestres exercet inque futuram sortem hominum, quorum magnopere interesse affirmant, scire, « quo sub astro nati sint ». Quae scientia appellatur *astrologia.* Antiquitus haec ars praecipue a Babyloniis exercebatur, sed pariter aetate, quae vocatur media, et etiam magis saeculis XV. et XVI. Fautores eius profecti sunt ab opinione, quae tenet Deum consilia sua per astra manifestare. Cui arti, cum et ponat terram esse centrum universi, doctrina heliocentrica aliquantum finem imposuit. Attamen exstant adhuc, etiam in Batavia « planetarum periti », qui asserunt se cuiuslibet sortem futuram posse praedicere eius horoscopum statuendo, i. e. statuendo, quod punctum solis orbitae, hora qua natus est, super horizontem orientalem comparuerit.

Paranormalis activitas activam denotat animi facultatem influendi modo panormali.

1° in *proprium corpus physicum:* qua in re mutationes psychogenae quas dicunt provenire possunt (paraphysiologia) non solum tamquam effectus aberrationum psychicarum, uti in hysteria, sed etiam ex forti ac suggestiva conscientiae contractione. Producere potest maculas sanguineas, adustiones, phaenomena stigmatisationis in partibus corporis ante indicatis, sicut et tollere verrucas ac

dolorem. Cui quoque rei fortasse attribui potest illud phaenomenon, quod quis neque plagis tangitur neque ustionibus, ita ut, sine ullo damno, corporis membra transfigi et carbones cadentes nudis pedibus manibusve tangi possint: etiam in Batavia his ultimis temporibus talia evenerunt. Huc et spectat, quod quis automatice scribit, pingit, nervis et tibiis canit, ut in statu somnambulorum accidere videtur; praeterea quod corpus sublevatur (« levitatio »), quin ulla causa physica percipi possit; denique quod quis duas induit personalitates (« Doppel-Ich »).

2° in *res physicas circa nos:* phaenomena parergica, quae praesertim in circulis spiritistarum produci feruntur (« psychokinesis »). Quibus phaenomenis adnumeratur actio in distans (« telekinesis »), uti, nullo contactu physico percepto, movere mensas et producere pulsationis sonum (« raps »). Praeterea satis dubiae « allationes », quae in eo consistunt quod quis in loco clauso de improvviso comparere facit corpus aliunde proveniens hyloclastia »). Insuper etiam magis dubia « materialisatio », ubi substantia vaporea vel textilis e manibus ac brachiis « medii » egreditur (« ekphoriae ») et extuberationes effici videntur, quae contactum habere et premere possunt (« ideoplastica »). Quae massa nebulosa (« ektoplasma », « teleplasma », « ideoplasma ») cito dissipatur atque in « medium », ut ita dicam, resorbetur.

Etiam de parapsychologorum sententia horum phaenomenorum veritas, ubi saepe fraudes esse factas constat, magnam partem adhuc valde dubia est.

3° in *vitam psychicam aliorum:* huc pertinent phaenomena, de quibus supra, quae hypnosi ac suggestione in aliis produci possunt. Pariter phaenomena telepathiae activae: potest aliquis in magno consessu quemlibet vult v. gr. ad respiciendum inducere, et, uti iam diximus, moribundi interdum menti propinquorum se nuntiant eosque de sua condicione certiores reddunt.

4° in *metaphysica:* i. e. in manes ac daemones, qui a « medio » evocantur. Qua in re primum locum occupant « manifestationes mortuorum », ubi spiritismus ad summum pervenit: pulsationes, afflatus aëris frigidi, ipsa vox, scriptio automatica etc. Quae omnia parapsychologia scientifica valde dubia habet. Interdum et clare apparebat « spiritus », qui per « medium » locuti esse dicuntur, non esse nisi « secundarias » personalitates ipsius « medii », aliis verbis casus duplicatae personalitatis, de qua supra.

Huc pertinent quoque *larvae seu phantasmata.* Quae si cum certo loco, v. g. cum domo vel domus parte connexa sunt, plerumque agitur de hallucinationibus seu de illusionibus. Quodsi cum aliqua persona coniuncta sunt, quo in casu se non raro manifestant

variis vexationibus (iactando supellectile vasaque coquinaria, violenter claudendo ianuas, imbrem causando lapideum), interdum cognoscebantur esse phaenomenon telekineseos, quod ipsa persona inscia produxit.

Ob malignitatem nonnullorum phantasmatum cogitatur de interventu diaboli: de casibus obsessionis aut possessionis. Mortuorum animas et etiam daemones, Deo permittente, cum viventibus commercium habere suamque praesentiam varia actione paranormali manifestare posse, nequit negari. Etsi diabolus scurra non sit, semper paratus, aliquo « medio » petente, artes suas proferre, illum tamen interdum in homine ac circum hominem agere, denegari non potest. Quod hodie maxime deest, ait Denis de Rougemont, fides est in diabolum. Et id ipsum quod in eum iam non credimus, signum est eum esse, agere, vincere.

Haec phaenomena paranormalia a plerisque doctis initio non in serium vertebantur: phaenomena paragnostica cognitionis paranormalis de rebus praeteritis, praesentibus futurisque, quae ut *vaticinatio* libenter a circulatoribus in nundinis per somnambulos exercebantur, mero *casui* tribuebantur; phaenomena parergica actionis paranormalis, quae interdum *magiam* in mentem revocabant, credulorum occultistarum atque spiritistarum fraudes *erroresque* et mendacia iudicabantur.

Quod iudicium adiuvabatur eo quod nonnulla « media » iterum atque iterum in fraudibus sunt deprehensae, et personae facultate paragnostica et parergica praeditae, quae materiam investigationis parapsychologicae praebebant, cum « mediis » facile aequabantur.

Iamvero parapsychologia multis diuturnisque experimentis, ubi *casus* « statistice » exclusus erat, demonstravit exsistere phaenomena vere paragnostica, et observatione plane scientia adhibitisque cautionibus, quominus in phaenomenis perergicis *errores animi* fieri possint, impedire conata est. At diu indagatum est, donec veritas certorum phaenomenorum paranormalium, v. g. telekineseos, statui poterat. Ceterum, ut patet, de criteriis, quae ad eorum veritatem probandam sufficiunt non semper est una doctorum sententia.

Primis temporibus multum pugnandum erat parapsychologiae: tum contra scientiam materialismo addictam saec. XIX, quae spiritus atque operationem spiritualem ignorabat, tum contra spiritismum non scientificum, cui spiritus, ut ita dicam, cotidiani hospites erant.

Nam in spiritismum quoque plerique parapsychologi nequaquam bene affecti sunt. Uti diximus, communiter de veritate materialisationis quam dicunt et manifestationum animarum defunctorum in circulis spiritisticis (« séances ») dubitant et « directis vocibus » quae dicuntur horum spirituum eorumque imaginibus photographicis diffidunt. Iidem generatim recusant phaenomenorum paranormalium, quae vere eveniunt, explicationem spiritisticam eamque quaerunt in anima vel subconscientia sive ipsius « medii », sive eorum qui adsunt, aut in conscientia « interindividualiter » aucta vel deminuta, quae in individualis conscientiae deminutione evenit. De cetero aperte concedunt explicationes, quae omnibus satisfaciant, adhuc repertas non esse nosque ad tempus contentos esse debere de coniectura quadam ad ulteriorem solummodo veri investigationem facta (« Arbeitshypothese »), qualem v. g. Heymans, prof. Batavus, ad explicandam telepathiam proposuit.

Investigatio scientifica *systematica* phaenomenorum parapsychologicorum reapse nata est in Britannia a. 1882, quo anno F. W. H. Meyers, H. Sidgwick aliique fundamenta iecerunt illius « *Society for Psychical Research* (per compendium scripta S. P. R.), quae adhuc viget. Ramusculos habuit in diversis regionibus: etiam in Batavia, ubi a. 1920 societas » *Studievereniging voor Psychical Research* (et ipsa = S. P. R.) erecta est a Prof. Universitatis Groninganae, G. Heymans, qui eodem anno multa egit experimenta, facultate utens paragnostica discipuli Van Dam.

Praeter numerosa scripta plus minusve critica cito complures commentarii vulgati sunt, v. g. commentarius Britannicus *Proceedings of the Society for Psychical Research* (ab anno 1883), qui cum commentario Americano *Journal of Parapsychology* (ab a. 1937) huius rei princeps est. Et Carl Vett, ducibus triumviris (Sir Oliver Lodge, Prof. Charles Richet, A. von Schrenck-Notzing, cui mortuo successit Prof. Hans Driesch) conventus internationales parapsychologorum instituit in urbibus Kopenhagen (1921), Varsavia (1923), Lutetia Parisiorum (1927), Athenis (1930), Oslo (1935).

Omnis haec activitas, quae gravitatem quoque mentemque criticam manifestavit, quibus res agebatur, effecit, ut constans pugna ex parte scientiae contra parapsychologiam paulatim deminueretur eamque iure exsistere magis magisque agnosceretur.

Quod et in Batavia contigit, ubi parapsychologia tamquam disciplina in duabus universitatibus admissa est, et psychiater P. A. Dietz (n. 1878) ab a. 1932 in Universitate Lugdunensi (Leiden) munus privatim docendi parapsychologiam suscepit necnon

psychologus W. H. C. Tenhaeff (n 1894) ab a. 1933 in Universitate Rheno-Trajectina (Utrecht). Professori Dietz successit a. 1940 K. H. E. de Jong, cum Tenhaeff a. 1953 ex parte Societatis Batavae S. P. R. Prof. extraordinarius nominatus sit.

Societas S. P. R., cuius secretariatus in urbe Den Haag constitutus est, commentarium edit *Tijdschrift voor Parapsychologie*, quem Dietz et Tenhaeff, ut continuarent commentarium « Mededelingen der Studievereniging voor Psychical Research » (ab a. 1921 ad a. 1929 vulgatum) iam a. 1928 edere coeperunt. Societas possidet bibliothecam Universitatis Amslelodamensis (Amsterdam) collocatam. Cum Dietz et Tenhaeff et De Jong libellos edidissent doctis destinatos, G. Zorab, qui hodie est secretarius, scriptis ad popularem sensum intelligentiamque magis accomodatis studia parapsychologica latius divulgare conatus est [3], et a. 1950 per occasionem recurrentis anni 30 a Societate condita Prof. F. A. Heyn et J. J. Mulkhuyse commentationem ediderunt, quae egregie rationem reddit de *Vorderingen en Problemen van de Parapsychologie* (de profectu ac quaestionibus parapsychologiae). Ibi ordine et critice tractatur de methodo investigandi, de paragnosia, parergia, manifestationibus post mortem variisque experimentis ad explicanda ea phaenomena actis.

W. H. C. Tenhaeff, Prof. Univ. Rheno-Traiectinae, sine dubio hodie est praecipuus impulsor Societatis Batavae S. P. R. Uti director praeest instituto parapsychologiae dedito (*Instituut voor Parapsychologie*, Utrecht). Insuper est consiliarius « Instituti (erecti Nov. 1955) in artem medendi paranormalem eiusque sociale momentum inquirentis » (Stichting inzake het vraagstuk der paranormale geneeskunde en haar maatschappelijke betekenis »), cuius vice-praeses est Senator catholicus dr. P. J. Witteman et secretarius medicus J. G. Haas, (Utrecht). Quod institutum id agit, ut scientifice omnino procedendo indaget actiones eorum, qui magnetismo utuntur, precationibus sanat, etc.; idem studet ex parte so-

---

[3] P. A. Dietz, i. a. *Telepathie en Helderziendheid* (1936); *Verschijningen en verschijnselen* (1948.

W. H. C. Tenhaeff, i. a. *Hoofdstukken uit de Parapsychologie* (1934); *Oorlogsvoorspellingen* (1948); *Parapsychologische verschijnselen en beschouwingen* (1949); *Inleiding tot de Parapsychologie* (1952); *Een spontane paragnostische ervaring van een zeventiende-eeuwse zeevaarder* (oratio, 1953).

K. H. E. de Jong, *De Parapsychologie* (1936); *De zwarte magie* (1938); *De Griekse mysteriën* (1948).

G. Zorab, *De jacht op het spiritistisch bewijs* (1940); *Wonderen der Parapsychologie* (1949).

ciali et iuridica eorum condicionem, qui, facultate authentica carentes, talem medicinam exercent.

Quod ad suam de mundo ac vita opinionem attinet (« Veltanschauung »), Prof. Tenhaeff monismum psychicum Professoris Heymans satis probat, et ex hac theoria philosophica phaenomena paranormalia ex parte explicare conatur. Spiritismum non omnino reicit, sed sano videtur uti iudicio neque modum excedere. Habet scholam generalis introductionis pro omnibus studiosis, et peculiaris introductionis pro studiosis medicinae necnon scholam perfectionis pro studiosis ultra progredientibus. Quae scholae a 15-20 auditoribus frequentantur. Iamvero natu grandioribus haec arcana phaenomena magis curae esse videntur quam aetate minoribus ideoque Tenhaeff non raro rogatur, ut in societatibus ac in circulis studiis destinatis scholas habeat. Sed quamvis audientes narratis phaenomenis delectentur, voluptas eadem scientifice indagandi non est valde magna. Quam ob rem unus ex primoribus Societatis Batavae S. P. R. ante aliquot annos timebat, ne postero tempore, nisi iunioribus haec res magis cordi esset, res Societatis Batavae S. P. R. male se haberent.

Magnus fuit eventus, praesertim iis, qui in Batavia parapsychologiae student, congressus internationalis anni 1953.

Altero bello universali commercia atque consuetudines internationales magnam partem interruptae erant: indagatores in suo cuiusque angusto circulo agere coacti erant. Bello confecto, cooperatio ordine et consilio instituta denuo valde desiderabatur. Itaque, auspice Universitate Rheno-Traiectina et largitrice Societate *Parapsychologic Foundation* (New York, N. Y.), ab eius praeside Mrs L. J. Garrett condita atque abunde dotata, a. 1953 Traiecti ad Rhenum congressus internationalis habitus est, cui 63 socii ex 14 nationibus interfuerunt: Batavi fuerunt 12, inter quos 4 professores Universitatis. Disputationes 4 coetibus adsignatae erant: inter alia disputatum est de personalitate paragnostae.

Suadente Mrs Garrett, constituta est ratio agendi per quinquennium, ut ex urbe Utrecht, utpote sede aptissima, moderante Dr. Probers, opus in variis Europae regionibus ordinaretur. Sequens congressus internationalis post 4 annos habendus erat, interim vero congressus singularum nationum instituendi, ubi quaestiones magis definitae tractarentur. Ita disputatum est in Gallia diebus 20-26 Aprilis et 27 Aprilis - 1 Maii 1954 in urbe Saint Paul de Vence (Alpes Maritimes) de relatione philosophiam inter et parapsychologiam, et de insolitis sanationibus (« un orthodox hea-

lings »), et in Britannia diebus 11-17 Julii in urbe Cambridge de spontaneis phaenomenis parapsychologicis [4].

Indicamus insuper existentiam circuli Batavi utendae facultati paranormali (« Nederlandse Werkgroep voor practische toepassing van paranormale begaafdheid »), qui consilium instituit ad exquirendam facultatem illam paranormalem; eius secretarius est C. T. van der Plaats, (Utrecht).

Theologos catholicos, ob bonum quoque animarum, in haec phaenomena occulta vel paranormalia, quibus tot homines magnopere alliciuntur, animos intendere debuisse evidens est [5].

Phaenomena, quae in utendo magnetismo et hypnosi evenerunt, theologis iam quaestionem posuerant, sitne moraliter excusandum, quod in aliis somnus artificialis producatur, quo durante suo iudicio uti, per se consilium capere non valeant neque in agendo actuum suorum domini sint, sed voluntati hypnotizantis plane subiecti, qui efficere potest, ut ii etiam post horas res dicant ac faciant, quas sui conscii numquam neque dicerent neque facerent. Quare hypnosis solummodo in certis casibus ut remedium therapeuticum, adhibitis omnibus cautelis, licita existimatur. Constat porro hypnosim in multis hypnotizatis vitae psychicae nocuisse, quocirca nihil minus quam idoneum conveniensque delectamentum est: ideoque in compluribus regionibus eius usus publicus vetitus est, et eius usus privatus non indiscriminatim permittitur.

Quam ob rem iam die 20 Aprilis 1847 S. Officium anterioribus responsionibus ad peculiares casus datis monitum addidit de non abutendo magnetismo: « Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et haereticalis » [6].

---

[4] *Proceedings of the first international Conference of Parapsychotogic Studies-Utrecht July 30 to August 5, 1935,* ed. Parapsychological Foundation, inc. New-York N. Y.

[5] Franz Walter. *Aberglaube & Seelsorge mit besonderer Berücksichtigung des Hypnotismus & Spiritismus* (Paderborn 1903; ed. 2 1911), quem librum historice adhuc valde utilem Seminaria Batava abhinc 50 annos in usu habebant. Non dicimus hic plura de astrologia, iam primis christianismi saeculis non semel condemnata (Denz. 35, 239, 240). Aliud est, si clare intuentes (« clairvoyants ») alicuius horoscopum statuunt unice, ut in semetipsis exoptatum animi statum producent.

[6] Denz. 1653.

Litterae Encyclicae S. Officii (die 4 Aug. 1856) idem denuo inculcant. Quibus in Litteris de spiritismo quoque, tacito quidem nomine, iudicium fertur: « Somnambulismi et clarae intuitionis, uti vocant, praestigiis mulierculae illae, gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario praesumunt... In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, invenitur deceptio omnino illicita et haereticalis... » [7].

Nos cum nostris etiam mortuis unitos esse amore eosque precibus posse adiuvare [8] necnon in eorum apud Deum intercessione spem ponere, clare docet Ecclesia catholica, quae nobis « communionem sanctorum » ut dogma fidei proponit et praeter Ecclesiam in terris militantem Ecclesiam in altera vita patientem et triumphantem complectitur. Sed condemnat tamquam necromantiam superstitiosam appetere directim contactum physicum cum mortuorum animis. Quare adsistere conventibus spiritisticis, ut interventu « medii » in « trance » versantis ille contactus, ut creditur, habeatur, die 24 Aprilis 1917 quavis forma vel condicione catholicis aperte vetatur [9].

Quod ad parapsychologiam attinet, quae phaenomena illa paranormalia scientifice indagat, res aliter se habet.

Natura eiusque vires multa mysteria habent, quae nobis adhuc occulta manserunt. Cotidie mira conspicimus, de quibus solummodo ideo non miramur, quod cotidiana sunt: v. g. graminis herbae incrementum, facultatem columbae internuntiae reperiendi viam, ortum ac mortem hominis ratione praediti. Iamvero nobis, maxime ut ratione praeditis, propositum est, ut naturae mysteria magno cum labore, ubi fieri poterit, detegamus [10].

Phaenomena quoque paranormalia nobis aliquid miri habent, eo vel magis quod rariora sunt ideoque citius admirationem movent. Erit autem aeque falsum et non scientificum illa phaenomena ut casus illusionis aut fraudis simpliciter reicere ac quaecumque de iis affirmantur, candide admittere.

---

[7] Denz. 1654.
[8] Cf. 2 Mach. 12, 43-45.
[9] Acta Apost. Sedis, Iunio 1917, p. 268.
[10] Cf. Eccl. 1. 13.

Indagatio vere critica horum phaenomenorum saepe notabilium, qualis ab iis, qui serio parapsychologiae student, adpetitur, omnino honesta est hominique natura cognoscendi ac sciendi cupido convenit, quippe qui earum rerum, quae « miratur », semper sua sponte quaerat explicationem.

Idcirco et catholici parapsychologiam tractant. In Batavia notissimus est liber qui inscribitur « Okkulte verschijnselen » Professoris Feldmann, qui in re tractanda fidei catholicae rationem sequitur; quem librum pro Batavia primus in lucem edidit Mgr. H. J. van Deursen (Warmond); tertiam editionem curavit Gerh. Steffens (ed. Pax, Den Haag 1949, pp. 500). Praeterea exstat scriptum Patris Maximini O. F. M. Cap., cui titulus « Duistere Machten » (Helmond 1949, pp. 198), ubi auctor dicit claram intuitionem et facultatem « medii » non necessario impedire, quominus quis bonus sit catholicus. Idem fatetur inter « media » multos inveniri catholicos: personas facile sentientes atque adfectas, sed non ideo hystericas, quae, deficiente perito psychiatro, qui simul in phaenomenis paranormalibus optime sit versatus, spiritismum amplexae sunt. Et cum secundum eum studium horum phaenomenorum in plebe crescat, ita ut verisimile sit tempore procedente etiam catholicos in illa phaenomena animos fortius intendere, magni momenti esse videtur doctos catholicos progressionem parapsychologiae e propinquo sequi, ut opportuno tempore populus catholicus sufficienter et recte doceatur.

Commentarius catholicus « Kultuurleven » mense Maio 1951 singularem edidit numerum de parapsychologia tractantem, qui scripta exhibet Gerhardi Steffens, dr. B. Delfgaauw, Patris J. H. Walgrave O. P. medicique dr. Peters. Summa est colloquii a scriptorum collegio Bataviae septentrionalis ac meridionalis una cum nonnullis invitatis die 13-14 Januarii 1951 in urbe Nijmegen habiti. Etiam secundum eos phaenomena paranormalia animos in dies magis in se convertunt ideoque opinantur eisdem via et ratione studere optima praebere arma ad dubiam cognitionem vulgaris magiae ac superstitionis tollendam aut saltem coercendam. Iidem significant graves parapsychologos se minus quam amanter in vulgares occultistas gerere. Fortasse, aiunt, theologiae pastorali utilitati erit « discretioni spirituum » fundamentum dare maiore cum scientifica rei cognitione positum.

Catholicis ulterior huius novae scientiae progressio eiusque inter catholicos studium non neglegenda erunt. Necesse erit, ut psychologis catholicis ea semper cordi sit, neve sacra scientia horum

phaenomenorum paranormalium studium detrectet, quia quaestiones philosophicas atque theologicas secum connexas habent. Eo vel magis quod in paragnosia et parergia phaenomena prodire posse videntur, quae in explicandis « miraculis » quae dicuntur contemnenda non sunt. Etiamsi quis horum phaenomenorum parapsychologicorum veritatem negare velit aut debeat, intererit hanc negationem scientifice fundare atque confirmare.

Sunt qui quaestionem ponant, sitne res commendatione digna studium parapsychologiae a catholicis, societate inita, promoveri. Quod a turma gravium catholicorum doctorum (psychologorum, philosophorum, theologorum) praestandum erit, quibus laboratoria, bibliothecae etc. in promptu sint.

Hoc centrum constitui poterit in aliqua universitate (catholica) Europae occidentalis, quae quid internationale prae se fert, v. g. in Universitate Friburgensi (Helvetia).

Idem in America septentrionali fieri poterit. Et cum dicant studium phaenomenorum occultorum late diffusum intensumque esse in America meridionali atque Ecclesiae magno detrimento, deliberandum erit, magnaene sit utilitati Ecclesiae eiusmodi centrum catholicum in illis regionibus.

In praesens dubitandum est, an catholici viros possideat, qui apti sint ad hoc munus via ac ratione vere scientifica recte explendum. Itaque incipiendum erit a formandis his viris.

Utcumque res se habeat, magni momenti esse videtur scientiam catholicam incrementum parapsychologiae e propinquo sequi, ne, fidei Ecclesiaeque magno detrimento illato, praepropera celeritate compensare praetermissa, necesse sit.

Sed interim complures permanent rationes, cur Ecclesia hac in re magna prudentia utendum esse censeat.

Periculum non est commenticium, ne praesertim exculti catholici citius nimisque proni sint ad collaborandum cum parapsychologis, quos oppugnatores existimant materialismi necnon propugnatores spiritualismi quem vocant.

Neque vero obliviscendum est hanc novam scientiam reapse ortum suum debere origini spiritismi eiusque celeri propagationi, quippe naturali desiderio nos morte non omnino separatum iri a nostris satisfacere videatur. Et quamvis, uti diximus, plerique parapsychologi non criticis sed credulis spiritistis minus familiariter utantur, sunt tamen, qui ab iis plane recedere nesciant neque, ubi parapsychologia finem et spiritismus initium habeat, intellegant.

Ita auctoritati ecclesiasticae molestissimum fuit, quod notissimus philosophus Gallicus, Gabriel Marcel, cuius opera etiam in Batavia late vulgata sunt, qui congressui parapsychologico a. 1953 Traiecti ad Rhenum habito interfuit et in colloquiis versatus est, praefationem plane approbantem scripsit libri Marcellae de Jouvenel, cui titulus « Au diapason du Ciel », qui liber a. 1950 editus ac cito evulgatus die 17 Aprilis 1955 utpote vere spiritistici generis in Indicem librorum prohibitorum insertus est [11]. Auctrix ex animo persuasum habet se intimum habere commercium cum filio Roland mortuo, quem secum loqui dicit sibique « automatice » scribendo adhortationes dare incitamentaque ad vitam spiritualem promovendam. Etiam vaticinia data sunt. Marcel auctrici assentitur et existimare videtur esse rem, quae per se intellegatur, aliquem cum altero tam intimam habere posse familiaritatem, ut etiam post mortem commercium directum permaneat. Et sicut spiritista Zöllner possibilitatem eiusmodi commercii introducendo quartam dimensionem explicare conatur, ita Marcel quamdam ponit harmoniam cosmicam, quae cognitionem scientiae naturalis excedit et occulta phaenomena explicare valet. Quamvis ob alienas rationes probandum non esse dicit, quod quis effrenate commercium cum mortuis quaerat, permittente tamen duce spirituali id fieri licere.

Ex quibus patet, cur Ecclesia, ne sacerdotes conventibus parapsychologicis adsisterent, edicto vetuerit [12]. Eorum praesentiam homines minus critici ut assensionem considerare poterunt et ut adprobationem eorum omnium, quae ibi dicuntur.

Cautio ex parte catholicorum hac in re adhibita magnam partem etiam ex eo provenit, quod in hac scientia empirica prophetiae ac miracula, quae ab apologetis semper testimonium divinum habebantur atque confirmatio missionis doctrinaeque supernaturalis, tamquam phaenomena peragnostica ac parergica viribus naturae adscribantur; quod a fortiori cadet in visiones et stigmata mysticorum necnon in beneficia sanationesque, quae intercessioni sanctorum attribui solent. Hoc ipsum est, de quo Ecclesia etiam atque etiam praemonere non destitit [13].

Attamen huic rei ne nimium tribuatur. Constitit praecipue in eo, quod miraculum in apologia antiquitus tradita fere non existi-

---

[11] Acta Apost. Sedis, Maio 1955, p. 294. Analecta v. h. Aarstsb. Utrecht 1955. p. 69.

[12] Analecta v. h. Aartsb. Utrecht 1956. p. 9.

[13] Denz. 1653.

matur nisi testimonium publicum legato divino datum et causa credibilitatis eorum quae nuntiat, aliis verbis unice existimatur signum externum et cautio veracitatis legati, cui tum demum fides praestatur, si quid efficitur, cuius homo naturaliter capax non est quodque generatim naturae vires excedit.

Theologice tamen miraculum, uti explanat Prof. Fortmann (Dijnselburg) [14], non solum *exterius* est signum, sed etiam et maxime *interius* elementum regni Dei, quod Christus in terram attulit. Princeps miraculi ratio et natura in eo est, quod nobis est manifestatio potentiae et gloriae Dei et « signum » Eius regni in hoc mundo. Ideo miraculum *qua tale* ab aliis phaenomenis internascere non est viri docti, v. g. medici. Is qua talis opus laude dignum faciet investigando quam accuratissime, num et quomodo eventus a normali ordine rerum deflectat, quia id quod in re non est normale efficiet, ut exinde nobis mirantibus quaeramus, num fortasse ipse Deus rei operatus sit. Sed ultimum iudicium ad religionem spectat, magis definite ad magisterium Ecclesiae, quae regnum est Dei hic in terris. Quod iudicium nequaquam unice positum est in eo, quod medicus de re statuit, sed potius in quibus circumstantiis aliqua res notabilis evenit; quae circumstantiae probant Deum se hic manifestare voluisse.

Hinc praecipuum non est rei species, sed eius significatio. Quare Christus satisfacere non vult voluntati Judaeorum urbis Capharnaum, ut denuo illis suae potentiae daret specimen. Idem iisdem exprobrat, quod prae sua incredulitate miraculorum ante patratorum significationem non perspiciunt. Ubi magna apparet diversitas inter facta Christi et « mediorum », quae quotiescumque ab iis petitur, parata sunt ad mira patranda, et id quidem ipsius miri causa.

Insuper Prof. Fortmann commonstrat terminum « miraculum » qua tale in N. Testamento non inveniri, sed potissimum terminum « signa » usurpari, coniunctum vel non cum terminis uti « prodigia », « portenta », « mirabilia ». Idem dicit aliquem iam simplicem esse debere ac paratum et initium aliquod fidei habere, ut « signa » qua talia intellegere possit. Sicut Pharao ob cor induratum « signa et ostenta », quae Moyses et Aaron coram eo patraverunt, non intellexit, ita Judaei nihilo magis « signa » intellexerunt, ad quae ab ipso Christo revocabantur. Signa qua talia aliquem credere non faciunt, sed Dei gratia ad id requiritur: « Neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare » [15].

---

[14] Annalen v. h. Thijmgenootschap 1955, p. 217-226.
[15] Matth. 11, 27.

Idcirco quod « signa » vires naturae hominisque facultates excedant, *theologice* parvi est momenti. In Evangelio ea condicio numquam ponitur, et in responso discipulis Joannis dato inter haec « signa » etiam numeratur quod « pauperes evangelizantur » [16]. Quae res neque ab apologeta traditionali « miraculum » proprie dictum existimabitur: Deus tum quoque peculiari modo operari seque manifestare potest, cum res efficiat, quae naturae vires non excedunt. Ex circumstantiis tunc homini religioso res apparebit ut « signum » Eius interventus: « digitus Dei ».

---

[16] Matth. 11, 5.

I. VAN DEN BERG

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA

« LE PROVVIDENZE STATUALI PER L'AGRICOLTURA ITALIANA INTERESSANTI GLI ENTI ECCLESIASTICI ».

L'agricoltura in Italia — come è noto — è oggetto di considerazione statuale fondamentalmente mediante la disciplina del *credito agrario,* del provvedimento in favore dei *territori montani,* dei *boschi e foreste,* della *bonifica locale* e *dell'incremento agricolo,* la vigente legislazione dei quali ordinamenti non poco interessa oggi gli Enti Ecclesiastici — proprietari terrieri — nella realizzazione della riforma agraria, per cui si crede del tutto non inutile ricordare sinteticamente qui il complesso normativo in merito esistente, seguendo la precettistica legislativa in senso sostanziale locutivo nel modo più assoluto possibile.

1) *La disciplina del credito agrario.* Il R. D. L. 29 luglio 1929 n. 1509, modificato e convertito nella Legge 5 luglio 1928 n. 1760, regola il *credito agrario* in Italia. *Il credito agrario* è distinto in *operazioni di esercizio* ed *in operazioni di miglioramento.*

Sono *operazioni di esercizio:*

a) le mutuazioni pecuniarie per la conduzione di aziende agrarie;

b) le mutuazioni pecuniarie per la utilizzazione, la manipolazione e la trasformazione della produzione;

c) le mutuazioni pecuniarie per acquistare macchine, attrezzi agricoli e bestiame;

d) le anticipazioni pecuniarie su pegno della produzione agricola in modo pubblico o privatamente depositata;

e) le mutuazioni pecuniarie in favore di enti e di associazioni agrarie (per acquistare cose utili alla gestione delle aziende agrarie dei soci e per anticipazioni pecuniarie ai soci stessi, nella evenienza di utilizzazione o di trasformazione e di vendita collettiva della loro produzione).

Le mutuazioni e le anticipazioni pecuniarie per la conduzione delle aziende agrarie, per l'utilizzazione, per la manipolazione e per la trasformazione della produzione, per lo acquisto di attrezzi agricoli, di macchine e di bestiame, per le anticipazioni pecuniarie su pegno della produzione agricola, pubblicamente od in modo privato depositata, possono essere erogate a favore di persone private, di enti e di associazioni, che, in virtù di titolo legittimo,

o di un contratto comunque denominato, direttamente conducano fondi rustici.

Sono, invece, *operazioni di miglioramento* le mutuazioni pecuniarie aventi per oggetto:

a) l'esecuzione di piantagioni;

b) le trasformazioni culturali;

c) la costruzione di strade poderali;

d) le sistemazioni dei terreni;

e) la costruzioni di abbeveratori e di pozzi, di muri di cinta, di siepi e di ogni altra opera idonea a cingere od a chiudere i fondi; la costruzione ed il riattamento di fabbricati rurali destinati ad abitazione dei coltivatori, al ricovero del bestiame, alla conservazione delle scorte e della produzione agricola ed alla manipolazione della stessa;

f) la costruzione di opere per il provvedimento ai fondi di acqua potabile e di irrigazione, nonchè per la sistemazione, per il prosciugamento e per il rassodamento dei terreni;

g) l'applicazione dell'elettricità all'agricoltura, le sistemazioni montane, il rimboschimento e qualunque altra opera tendente allo stabile miglioramento dei fondi, come, del pari, l'acquisto dei terreni, destinati a formare la piccola proprietà coltivatrice, l'affrancazione di canoni e livelli, la trasformazione di debiti fondiari, aventi per finalità lo stabile miglioramento dei fondi, la costruzione, il riattamento e l'adattamento di fabbricati ad uso collettivo di conservazione e di distribuzione di mercanzia agricola, di produzione agraria e di deposito di bestiame.

Le relative mutuazioni pecuniarie sono estinguibili mediante rateazioni annuali coincidenti col momento del raccolto, con la definita utilizzazione della produzione ecc.

Le mutuazioni pecuniarie di *credito agrario di esercizio* sono realizzate con lo sconto delle cambiali agrarie. Queste mutuazioni pecuniarie possono dar luogo alla costituzione di *privilegio speciale* gravante sui frutti pendenti.

La *cambiale agraria*, legalmente non differente nei suoi effetti da quella *ordinaria*, deve contenere i seguenti *elementi speciali:*

a) la *finalità* perseguita mediante la mutuazione pecuniaria;

b) la *specificazione* del fondo, per cui è erogata la mutuazione pecuniaria, o la *identificazione* del luogo, nel quale è depositata la produzione da conservare, da trasformare o da utilizzare, od in cui verrà ad essere custodito il bestiame, oppure saranno conservati gli attrezzi da acquistare e le macchine;

c) la *garanzia*, assistente la mutuazione pecuniaria, con riferimento nella cambiale stessa degli elementi dell'atto di costituzione del *privilegio convenzionale* o del *pegno*, se portati a garanzia.

Per effetto della Legge 5 dicembre 1949 n. 918, il debitore, che dichiari che non sa scrivere, o non possa sottoscrivere per impedimento fisico, può apporre il croce segno sulla *cambiale agraria* non eccedente le lire centomila, valente ad ogni effetto di legge, purchè la cambiale stessa sia controfirmata da due testimoni capaci di validamente intervenire in atti pubblici, ai sensi delle leggi vigenti, e la firma di essi sia autenticata dal Notaio, dal Sindaco o dal Giudice Conciliatore, che vi procedono gratuitamente.

Sulle *cose*, indispensabili per la coltivazione del fondo, non gravate già da *privilegio legale* ordinario, può essere costituito *privilegio speciale* per garanzia della mutuazione pecuniaria.

La costituzione di questo *privilegio* deve avvenire per atto scritto, debitamente registrato, trascritto nel Registro speciale, curato dal Conservatore delle Ipoteche, ed esso non può avere una durata superiore al triennio.

Per le mutuazioni pecuniarie erogate a favore di associazioni, il precennato *privilegio speciale* può essere costituito anche sui frutti pendenti, su quelli raccolti nell'annata e sulla produzione agricola depositata nelle fabbriche annesse ai fondi, dai quali essa deriva.

Le *operazioni di credito agrario di esercizio* e *di miglioramento* sono demandate all'attività di Istituti, legalmente abilitati, aventi per propria finalità l'esercizio del credito agrario, che, se richiede garanzia ipotecaria, questa deve essere di primo grado.

Tutti gli atti giuridici concernenti le operazioni di credito agrario, ad eccezione delle cambiali, realizzati dai precennati Istituti, godono della riduzione a metà dell'imposta di Bollo.

Per il pagamento degli interessi delle mutuazioni pecuniarie, lo Stato può concorrervi normalmente nella misura del 2,50%, secondo le norme specifiche in merito, relative agli Istituti abilitati all'esercizio del credito agrario di esercizio e di miglioramento.

2) *Il provvedimento in favore dei territori montani.* Le mutuazioni pecuniarie, aventi per oggetto il miglioramento dei territori montani, sono regolate dalla Legge 25 luglio 1952, n. 991, dal D. P. 16 novembre 1952 n. 1979 e dalla Legge 11 aprile 1953 n. 309. Con tali disposizioni sono previsti *concorsi* e *sussidi statuali* per la realizzazione di opere di miglioramento, per la bonifica

montana per mezzo di opere private, aventi interesse generale, per la sistemazione montana di spettanza statuale, per la istituzione obbligatoria di specifiche aziende e di consorzi per la gestione delle cose silvo-pastorali di pubblici enti, nonchè per le provvidenze per l'artigianato dei luoghi montani.

3) *Provvedimenti in favore dei boschi e foreste.* Per effetto dei RR. DD. 30 dicembre 1923 n. 3267, 3 gennaio 1926 n. 23 e 16 maggio 1926 n. 112, possono essere concessi *contributi statuali ed esenzioni fiscali* a favore di enti e di persone private, che, con metodo tecnico e vigilati dagli Organi forestali, realizzano opere di rimboschimento di terreni cespugliati, erbati e nudi, sottoposti o meno a vincolo, di propria dominicalità.

Le *agevolazioni tributarie* per i boschi ad alto fusto sono costituite dall'esenzione dall'imposta fondiaria erariale e dalla sovrimposta comunale e provinciale per quarant'anni, mentre per i boschi cedui questa esenzione è per quindici anni.

4) *Provvedimenti in favore della bonifica locale.* Questa vasta materia è regolata dal R. D. 13 febbraio 1933 n. 215, dalla Legge 12 febbraio 1942 n. 183 e dal D. L. P. 31 dicembre 1947 n. 1744.

In virtù di tali provvidenze si possono avere *sussidi* e *mutuazioni pecuniarie* con il concorso statuale nel pagamento degli interessi per la realizzazione di opere di sistemazione idraulica, o idraulico-agraria dei terreni, di ricerca, di provvista e di utilizzazione delle acque a finalità agricola o potabile; per la costruzione ed il riattamento di strade poderali ed interpoderali e di teleferiche per la possibile sostituzione delle stesse; per i dissodamenti con esplosivi o con mezzi meccanici; per le costruzioni e per i riattamenti dei fabbricati e delle borgate rurali; per le opere indispensabili per la mutazione da termica in elettrica dell'energia motrice delle installazioni idrovore, per il miglioramento fondiario dei pascoli montani, per le piantagioni e, normalmente, per qualunque miglioramento fondiario realizzabile in favore di uno o di più fondi, indipendentemente da un piano generale di bonifica.

In tali evenienze, il *sussidio statuale* è normalmente costituito dal terzo della spesa, ma può salire al 38% per i miglioramenti fondiari di pascoli montani o per le opere da realizzarsi nell'Italia meridionale, nel Lazio, nella Maremma toscana, nella Venezia Giulia o nelle Isole, mentre il corcorso statuale è del 75% nella spesa per la costruzione degli acquedotti rurali.

Nella spesa, poi, per l'impianto di cabine di trasformazione e delle linee fisse o mobili di distribuzione dell'energia elettrica

per uso agricolo, il *concorso statuale* e del 45% e nella spesa per i macchinari di utilizzazione dell'energia elettrica o di apparecchi meccanici di dissodamento è, invece, del 25%.

Comunque, il *concorso statuale* stesso può essere ridotto al 10% della spesa occorsa per la realizzazione dell'opera.

5) *Provvedimento in favore dell'incremento agricolo.* Un *concorso statuale* è anche conseguibile per effetto del D. L. P. 1° luglio 1946 n. 31, integrato dal D. L. P. 15 marzo 1947 n. 214 per le spese concernenti le opere di ordine straordinario sostenute dalle aziende agricole, realizzanti la sistemazione agraria e la ripristinazione della coltivabilità dei terreni.

Il *concorso statuale* è stabilito in varia misura ed è del 35% a favore delle grandi aziende agricole, del 52% per le medie e del 67% per quelle piccole.

Un ulteriore *concorso statuale,* infine, del 40% può essere ottenuto per l'acquisto del bestiame, dei fertilizzanti, degli attrezzi rurali e per le riparazioni, di cui, però, dovrà essere tenuto conto nella liquidazione dei danni di guerra.

ROBERTO COPPOLA

RECENSIONES

RECENSIONES

HOLBÖCK CAROLUS. *Tractatus de iurisprudentia Sacrae Romanae Rotae.* Graetiae-Vindobonae-Coloniae in officina Libraria « Styria ». 1957. Pag. 400. s. p. —

Auctor, professor juris canonici et advocatus S. R. Rotae, ex voluminibus Decisionum S. R. Rotae, quae ab anno 1909 ad annum 1946 prodierant, conclusiones deprompsit, aliquando verbotenus, easque ordinavit in forma commentarii ad singulos canones Codicis Iuris Canonici. In fine cuiusvis articuli indicantur una simul singulae decisiones, ut, quicumque velit, haurire possit ex ipso fonte, sc. ex Decisionibus S. R. Rotae.

28 Aprilis 1957. Foroiuliensis. (*Foroiuliensis-Tolonensis*). Qui arcana Dei. — *Sedes Cathedralis Foroiuliensis Tolonem transfertur, dato sive Cathedrali Templo sive Episcopo titulo « Foroiuliensi-Tolonensi »; aedes vero quae fuit adhuc Cathedralis, in posterum Concathedralis titulo decorabitur. Episcopus Foroiuliensis (Fréjus in Gallia) petiit a Romano Pontifici, ut Sedes eiusdem Ecclesiae in urbem Tolonem (Toulon) transferretur; haec dioecesis fuit 1801, etsi antiquissima, « rebus haud secundis » suppressa et Ecclesiae Foroiulien. unita. Translatio creat multa commoda pro administratione dioecesis; quaedam officia iam antea translata fuerunt in urbem Tolonem. Dolendum est, quod textus Const. iterum atque iterum scribit Telone pro Tolone.* (*A.A.S.*, 22 nov. 1957, vol. 49, pp. 883-885).

LITTERAE APOSTOLICAE:

10 Decembris 1956. Arctis in rebus — *Atlantensis Dioecesis B. Maria V. ab Immaculato Corde in Patronam praecipuam et S. Pius PP. X in Patronum minus principalem eliguntur. -- « Est autem ad Nos allatum sacrorum administros in Civitate Georgia, in finibus Americae Septemtrionalis, alacres, ac quidem felici cum exitu, eo curas intendisse, ut Christifideles Immaculatum Deiparae Cor, Marialis Rosarii preces cotidie domi recitantes, praecipue venerarentur, atque, Eius monitis obsecuti, voluntariis castigationibus se affligerent ». Ideo Episcopus Atlantensis (Atlanta) rogavit « Nos, ut in eiusdem Immaculati Cordis principalem tutelam dioecesim suam, nuper a Nobis erectam, traderemus. Praeterea pio flagitavit animo, tu huic Deiparae patrocinio adderetur praesidium Sancti Pii PP. X, ut praesertim sacrorum administri haberent, quem imitarentur, cuiusque deprecatione fruerentur apud Deum ».* (*A.A.S.*, 22 nov. 1957, vol. 49 pp. 888-889).

27 Decembris 1956. Providentis Dei. — *Unio utriusque partis Ordinis filiarum Mariae Dominae Nostrae, sub appellatione « Ordinis Societatis Mariae Dominae Nostrae », confirmatur.*

S. Iohanna de Lestonác, nata Burdigalae a. 1556, mortua in eadem urbe 1640, remansit fidelis Ecclesiae catholicae non obstante influxu matris calvinisticae, duxit 1573 in matrimonium Gaston Montferrand Baro de Landiras, cui donavit septem filios. Facta vidua 1597 fundavit a. 1606 « Ordinem filiarum Mariae Dominae Nostrae » pro educatione iuventutis femminilis, aggregatum Ordini S. Benedicti. Fidus Sanctae consiliarius, P. Ioannes Bordes S. I., Ordini dedit substantialiter formam regiminis S. I. Iam a. 1607 Ordo recepit approbationem pontificiam et numeravit tempore fundatricis triginta domus. Singula monasteria fuerunt sui iuris et solummodo caritatis vinculo inter se coniuncta. Propter magnas difficultates, quibus Ordo opprimebatur, multae sodales desiderabant, ut domus singulae arcte inter se coniungerentur sub unius antistitae generalis moderatione. Unde Benedictus XV a. 1918 concessit, ut monasteria, quae vellent, in unam congregationem convenirent; alia monasteria sui iuris poterant aggregari. Ex decreto S. C. de Rel. 12. III. 1921 resultat, quod ex 92 monasteriis 60 unionem inierant. In festo S. Ioannis Evang. perfecta unio omnium monasteriorum confirmata est, « cum clausurae ratione magis temperata et cum regimine centralizato ». Papa alludit ad Const. Ap. « Sponsa Christi » desiderantem quandam unionem monasteriorum sui iuris; quae mens uberius explicatur; ex decreto S. C. de Rel. de 8. XII. 1956 « Ordo Filiarum Mariae Dominae Nostrae iure esse coepit Ordo religiosus cen-

tralizato regimine insignis ». Titulus officialis est: « Ordo Societatis Mariae Dominae Nostrae ». Tandem dantur normae pro regimine (*A.A.S.*, - 22 nov. 1957 vol. 49, pp. 889-894).

25 Ianuarii 1957 — Regnum Mariae. — *Beata Virgo Maria, « Domina Nostra Arabiae » appellata, caelestis apud Deum Patrona declaratur Vicariatus Apostolici Kuvaitensis. Vicarius Apostolicus Kuvaitensis (Kuvait in Arabia) certiorem fecit R. P. religionem in Deiparam Virginem in Arabia ita exardescere, ut nonnulla eaque conspicua dederit specimina, quae uberius explicantur. Ideo Ordinarius enixe flagitavit, ut Beata Maria semper Virgo, « Nostra Domina Arabiae », totius Vicariatus Kuvaitensis praecipua apud Deum Patrona declararetur* (*A.A.S.*, - 22 nov. 1957, vol. 49, pp. 894-895)

16 Februarii 1957 — Quae a Christianis. — *Beata Maria V. sub nomine « Nuestra Señora de la Misericordia » in Ecclesia Paroeciali loci « Canet de Mar » venerata, Patrona Caelestis declaratur universae regionis, quae « Comarca del Maresma » appellatur, intra fines Gerundensis dioecesis. --- Data summa veneratione loci « Canet de Mar » hodiernus Parochus nec non Municipii Moderator loci vulgo « Canet de Mar » proprio nomine omniumque civium humiliter enixeque postulaverunt, ut Beata Virgo Maria a Misericordia non solum civitatis et paroeciae, sed etiam totius regionis « Comarcae del Maresma », intra Gerundensis dioeceseos fines, caelestis Patrona per Nos benigne declararetur »* (*A.A.S.*, - 22 nov. 1957, vol. 49, pp. 896-897).

29 Martii 1957 — Catholici populi. — *Ad dignitatem et honorem Basilicae Minoris evehitur paroecialis Ecclesia B. Mariae V. Matris Dolorosae, in loco vulgo « Dreieichen », intra fines dioecesis Sancti Hippolyti. --- « Hoc pietatis studium a vetere aetate repetitur: tribus enim saeculis ante Simulacrum Perdolentis Deiparae ibidem constitutum est, cuius fama tantopere percrebuit, ut non solum Christifideles singulos sed turmas etiam eorumdem, peregrinatorum more accedentium, ad se converteret »; Breve pergit: « Cum haec Marialis religio incolarum animos pervadere coepisset, parva Aedes sacra exstructa est; ac deinde Monachi Altenburgenses ex Ordine Sancti Benedicti, quibus pius hic locus creditus est, amplum Templum, tholis ac turribus insigne, exaedificandum curaverunt ». Unde Abbas Altenburgensis petiit, ut ecclesia ad dignitatem Basilicae minoris eveheretur* (*A.A.S.*, - 25 nov. 1957, vol. 49, pp. 950-951).

29 Martii 1957 — Reginam ac Dominam. — *Titulo ac privilegiis Basilicae Minoris ditatur Sanctuarium B. Mariae V. de Oropa, intra*

fines Bugellensis dioecesis. — « Reginam ac Dominam montis Oropae totiusque continentis vallis in Pedemontana regione Deiparam Virginem Mariam ab omnibus haberi, nemo est qui ignoret itemque omnibus compertum est quanta celebritate quantaque religione pervetustum Mariale sacellum, ibi conditum atque in amplius Sanctuarium postea inclusum, praefulgeat idemque praemineat cetera ». Quae mens uberius explicatur sub ratione historiae, peregrinationis, artis (*A.A.S.*, - 25 nov. 1957, vol. 49, pp. 951-952).

9 Maii 1957 — Laeta fructuum copia. — *Internuntiatura Apostolica in Imperio Aethiopico erigitur.*
Cum Romano Pontifici visum fuerit Apostolicam Sedem et Imperium Aethiopicum publicis vinculis e necessitudinis rationibus inter se coniungi, erigit et constituit Internuntiaturam Apostolicam, cuius Sedes Neanthopoli, vulgo « Addis Abeba » (A.A.S., - 26 Octobris 1957, vol. 49, p. 823).

24 Augusti 1957 — Expedit et Romanorum. — *Apostolica Delegatio nomine Thailandensis erigitur, eiusdem territorio et iurisdictione ab Apostolica Delegatione Indosinensi seiunctis. — Ut aptius rei catholicae rationibus in Thainlandiae regno consuleretur, S. C. de Prop. Fide censuit erigendam propriam Apost. Delegationem Thainlandensem, separatam a Delegatione Indosinensi. Sedes est urbs Banchochio, caput dicti regni* (*A.A.S.*, - 22 nov. 1957, vol. 49 pp. 897-898).

EPISTULAE:

18 Iulii 1957 — Haud sine suavi. — *Ad Em.mum P. D. Franciscum S. R. E. Cardinalem Spellman, Archiepiscopum Neo-Eboracensem, quina lustra episcopatus celebraturum.* (*A.A.S.*, - 26 Octobris 1957, vol. 49, pp. 824-825).

1 Augusti 1957 — Adlatum est. — *Ad Em.mum P. D. Iosephum Ernestum Tit. S. Mariae de Aracoeli S. R. E. Card. van Roey, Archiepiscopum Mechliniensem, duodena lustra sacerdotii implentem.* (*A.A.S.*, - 26 Octobris 1957, vol. 49, pp. 825-826).

1 Augusti 1957 — Expostulat militantis. — *Ad Rev.mum P. Michaëlem Browne, Ordinis Fratrum Praedicatorum Magistrum Generalem: septimo revoluto saeculo ab obitu Sancti Hyacinthi.* (*A.A.S.*, - 26 Octobris 1957, vol. 40, pp. 827-829).

18 Sept. 1957 — Al vivo compiacimento. — *Ad Em.mum P. D. Iosephum Cardinalem Siri, Archiepiscopum Ianuensem, Praesidem Italici Consilii Catholicorum ad studia rerum socialium per hebdomadam ducenda (Settimane Sociali).*

Papa exprimit suam laetitiam de hebdomade studiorum Rerum socialium celebranda in urbe Caralitana (Cagliari) « cara al Nostro cuore per la sua laboriosità e sua fedeltà alle tradizioni cattoliche »; specialiter autem de jubilaeo aureo « di così provvida istituzione ». « Provvida infatti, ait Pius XII, e veramente feconda essa Ci si rivela, se spingendo lo sguardo al passato, Noi ne misuriamo la vasta mole delle attività svolte dalla sua nascita fino ad oggi, tra difficoltà ed ostacoli, che se hanno potuto rendere arduo il cammino percorso, non hanno però impedito a questi incontri del pensiero e dell'azione cristiana di imporsi all'attenzione e alla stima di tutti. Cosicchè oggi le Settimane Sociali, mentre rendono chiara testimonianza della matura coscienza sociale dei cattolici italiani, per i quali non suonò invano l'alto richiamo della grande Enciclica « Rerum novarum », costituiscono altresì un potente stimolo per lo studio e la elaborazione di orientamenti sicuri in campo sociale, in rapporto soprattutto ai maggiori problemi che travagliano la Nazione, nella ansiosa ricerca di un nuovo assetto adeguato ai nuovi urgenti bisogni ». Deinde tangitur obiectum Sessionum, de quo Papa: « Il tema stesso: « Aspetti umani delle trasformazioni agrarie » basterebbe da solo a richiamare l'attenzione, tanta ormai è l'importanza che l'agricoltura ha assunto sul piano nazionale e internazionale. E dipenderà dalla giusta e tempestiva soluzione di questi problemi, se la Nazione italiana, insieme col progresso in un campo così essenziale della sua economia, riuscirà a salvaguardare altresì quei valori fondamentali umani dei singoli e dei gruppi viventi nel mondo agricolo, oggi messi più che mai in pericolo dallo squilibrio esistente tra l'agricoltura e gli altri settori della vita economico-sociale. Poichè, come nel passato, anche nel presente la campagna ha qualcosa da dare che non è soltanto limitato ai beni materiali: essa è ancora una delle più preziose riserve di energie fisiche e spirituali. Di qui la stima e l'interesse con cui la Chiesa ha sempre guardato l'agricoltura, « omnium artium... innocentissima », come la chiama S. Agostino; di qui la premura con cui oggi specialmente essa si rivolge alla popolazione rurale, la quale, sia per il contatto più diretto col mistero della natura sia per il maggior isolamento che le è imposto dal suo stesso lavoro, ha generalmente conservato più vivo il sentimento religioso, ed è così « restata fino ad oggi quasi detentrice della schietta tradizione cristiana ». Haud sub silentio Pius XII

tegit « difficoltà nè poche nè lievi », quae resultant ex « lavoro rurale » et magis adhuc ex « uomo rurale, che oggi sta attraversando nuove esperienze ». Manifestando indigentias hominis ruralis nostrorum temporum R. P. pergit: « La mancanza di sensibilità verso tali esigenze umane del mondo agricolo, quale si è verificata in questi due ultimi secoli nel corso delle esperienze basate sui principi dell'individualismo liberale e del collettivismo materialista, ha mostrato con ogni evidenza l'incapacità intrinseca di tali sistemi di risolvere i problemi dei coltivalori del suolo. La Chiesa, che sempre e dappertutto — come abbiamo avuto già occasione di affermare -- ha lottato « perchè si tenga più conto dell'uomo, che dei vantaggi economici e tecnici », costantemente si è opposta a queste due forme estreme di sfruttamento egoistico del lavoro e dei valori umani. Essa, pertanto, come ha sempre fatto nel passato, così anche ora, a favore dei lavoratori della terra, richiama l'attenzione sul dovere di mettere in primo piano i valori dello spirito nell'impegno di ricomporre i rapporti economici.

E sarà motivo di legittima fierezza per i cattolici italiani nella prossima Settimana di Cagliari rilevare come la sociologia cattolica, meglio di qualsiasi altra, levi alta la fiaccola della giusta libertà e della dignità umana ». Post haec indicantur media ad sublevandam condicionem hominis ruralis; quae media sunt: collaboratio ipsorum agricolarum, adiutorium Status civilis, cura sollicita pastorum animarum. (*A.A.S.*,- 26 Octobris 1957, vol. 49, pp. 830-836).

ALLOCUTIONES:

25 Augusti 1957 — *Iis, qui interfuerunt Conventui Romae habito Sodalitatis universae Iuvenum Operariorum Catholicorum (J.O.C.), in Foro Sancti Petri coadunatis.*

Pius XII videndo iuvenes operarios ex octiginta diversis Nationibus exclamat: « Comme la foule que contemplait l'Apôtre Saint Jean, dans la prophétique révélation de Pathmos, « foule immense, que nul ne pouvait dénombrer, de toutes nations, tribus, peuples et langues », vous êtes revêtus, comme d'une robe d'innocence, de cette grâce sanctifiante qui est votre fierté et votre force; vous portez les palmes d'un apostolat déjà merveilleusement fécond, de combats toujours généreux et de sacrifices -- Nous ne l'ignorons pas -- dignes parfois des temps héroïques. Et tous, debout, dressés en face d'un monde qui oublie ou méprise les réalités saintes, vous lui criez hautement par vos paroles, par vos actes, par votre vie entière: « Le salut est le fait de notre

Dieu, qui siège sur le trône, et de l'Agneau ». Deinde: « mais par delà vos rangs de jeunes et authentiques ouvriers, Nous croyons voir aussi les centaines de milliers de jeunes travailleurs et travailleuses de tous les continents, qui vous ont délégués à Rome et vous ont chargés de Nous apporter le témoignage de leur attachement et de l'action apostolique, qu'ils mènent dans leur milieu. Nous apercevons aussi la multitude de ceux qu'ils veulent conquérir, en les ramenant à Dieu ». Obiectum discursus hauritur ex ipsa tessera: I.O.C. = juvenes operarii catholici: « vous êtes des jeunes, des travailleurs, des catholiques ». In prima parte evolvitur illud: « vous êtes des jeunes ». Perfectissimae vitae proposito, quod sibi animo effingunt iuvenes, mundus opponit terribilia obstacula: « Vous voyez autour de vous des masses d'hommes se débattre dans des difficultés matérielles insurmontables, la faim, la misère, l'ignorance; certains oublier même leur dignité, perdre leur idéal, se contenter de satisfactions vulgaires. Puis de faux prophètes s'insinuent dans ces groupes déprimés, y sèment des germes de haine et de révolte, les trompent par des promesses illusoires. Sous pretexte que les ressources naturelles ne pourraient suffire à nourrir l'humanité en croissance, on attente même à la dignité du mariage et de la famille ». Deinde quaerit Papa: « Comment la JOC essaie-t-elle de rémedier à ceux maux? Elle affirme, avec toute l'ardeur de la jeunesse, sa foi dans les richesses spirituelles de l'humanité, dans sa vocation terrestre et surnaturelle, et elle s'applique dès maintenant à réaliser celle-ci ».

Secunda Allocutionis pars respicit illud: « vous êtes des travailleurs ». Primo Pius XII illustrat sollicitudinem Ecclesiae et Romanorum Pontificum circa vitam temporalem et aeternam operariorum; deinde pergit: « La JOC aborde le problème de la vie ouvrière en son point le plus délicat peut-être, c'est-à-dire au moment où il commence à se poser au jeune homme, à la jeune fille. Quand ceux-ci quittent l'école pour aller au travail, ils sont d'habitude fiers d'assumer à leur tour un rôle actif dans la société et débordent de confiance en eux-mêmes. Mais bien vite, de cruelles déceptions d'abattent sur eux; trop souvent ils se heurtent à des conditions de vie difficiles, ils ne rencontrent qu'incompréhension, dureté, mauvais exemple; ils absorbent lentement le poison de doctrines matérialistes, d'attitudes faussées par l'opposition des classes et la haine; il perdent ainsi rapidement et parfois irrémédiablement leur fraîcheur, leur joie, leurs aspirations les plus légitimes, et bientôt s'aigrissent et se révoltent. Tel est le désastre que la JOC veut absolument empêcher ». Quomodo? « Vous Nous montrerez vrais fils de l'Eglise, en portant

aux autres comme « missionnaires jocistes », par l'exercice plénier de votre responsabilité de jeunes ouvriers chrétiens, le salut qui vous a été annoncé ». Tandem in tertia parte proponitur vis illius facti: « vous êtes catholiques ». Iustissime notat Papa: « L'Eglise a besoin aujourd'hui plus que jamais des jeunes travailleurs pour construire vaillamment, dans la joie et dans la peine, dans les succès et les épreuves, un monde tel que Dieu le veut, une société fraternelle dans laquelle la souffrance du plus humble sera partagée et allégée par tous. Que votre apostolat s'exerce donc dans une perspective d'universalité et toujours comme il convient, dans la filiale soumission à la hiérarchie ecclesiastique; qu'il trouve là la source de son efficacité et de sa fidélité aux intentions du Christ ». Deinde considerat Papa condiciones mundi post bellum superatum et officium Ecclesiae et iuventutis catholicae pro educatione populi. In exhortatione finali Pius XII alludit ad resuscitatum a Iesu Lazarum. Etiam iuventus catholica vocata est ad resuscitandos illos, qui adhuc, prout Lazarus, ligati sunt ligaminibus peioribus morte (*A.A.S.*, - 26 Octobris 1957, vol. 49, pp. 837-845).

8 Septembris 1957 — *Iis qui interfuerunt Conventui duodecimo internationali de « Odontostomatologia », Romae habito.*

« La documentation, qui Nous a gracieusement été communiquée, donne une haute idée du programme de votre congrès: il comporte en effet, outre les relations scientifiques, des expositions et des démonstrations cliniques et techniques, destinées à donner une idée aussi complète que possible des travaux réalisés depuis cinq ans dans tous les domaines de votre compétence.

Nous ne saurions passer en revue cette véritable somme d'information; mais il Nous plaît de signaler quelques points, dont l'intérêt humain Nous a frappé en parcourant les rapports qui Nous sont parvenus ». Primo: « Une des plus heureuses conséquences du développement universel des disciplines médicales est en effet de les rapprocher en manifestant davantage leur interdépendance ». Deinde: « des observations cliniques de nombreux praticiens et des recherches méthodiques poursuivies scientifiquement est donc née l'orthopédie dentofaciale, dont une branche importante, la pédodontie, se consacre aux enfants ». Tertio: « L'orthopédie dento-faciale peut, on le voit, améliorer grandement le développement de certains enfants et adolescents ». Insuper: « A mesure que la science médicale progresse, elle constate que elle ignorait encore certaines ressources de la nature et qu'elle avait parfois eu tort de vouloir se substituer aux forces de régénération pour corriger les maux qu'elle découvrait ». « C'est ainsi qu'on a pu mettre en évidence les possibilités de guérison

ce certaines caries profondes en nombre de cas, où les techniques précédentes auraient conseillé de dévitaliser la dent pour éviter toute complication »; « mais il restera toujours un très grand nombre de cas, où les interventions thérapeutiques auront à soigner ou réparer des maux déjà anciens ». Pius XII pergit: « Nous avons appris récémment, avec une bien vive satisfaction, qu'on venait de mettre au point un nouvel instrument capable d'effectuer pratiquement sans douleur le nettoyage des cavités ». Insuper: « L'appréhension bien connue des clients pour la douleur des interventions sur les dents, et les conséquences fâcheuses qui s'ensuivent, n'ont pas manqué d'attirer l'attention des psychologiques ». Tandem Papa loquitur de magno progressu artis dentariae (A.A.S., - 26 Octobris 1957, vol. 49, pp. 849-853).

10 Septembris 1957 — *Sodalibus delegatis ab universa Societate Iesu, Romae congregatis.*

Pius XII post salutatos sodales Societatem Iesu universam repraesentantes ante oculos ponit ad mentem S. Ignatii scopum Societatis: militare « sub Crucis vexillo Dei », servire « soli Domino ac Ecclesiae ipsius Sponsae, sub Romano Pontifice, Christi in terris Vicario », addito peculiari Voto oboedientiae Summo Pontifici praestandae. Deinde Papa iustissime extollit « praeclara facinora maiorum », « perfectam illam oboedientiam exsecutionis, voluntatis atque iudicii erga Sedem Apostolicam ». Cui spiritui repugnat superbia « liberi examinis » heterodoxae potius quam catholicae mentis propriae; uberius mens Papae explicatur. Ad oboedientiam autem, quod attinet, citantur verba ipsius Fundatoris. « Ab aliis religiosis Ordinibus facilius patiamur superari nos ieiuniis, vigiliis et cetera victus cultusque asperitate, quam suo quisque ritu ac disciplina sancte suscipiunt; vera quidem ac perfecta oboedientia, abdicationeque voluntatis atque iudicii maxime velim... esse conspicuos quicumque in hac Societate Deo Domino nostro deserviunt ». Ab hoc spiritu aberrant illi, qui oboedientiae censent subrogandam « democraticam » quandam aequalitatem inter Superiores et subditos. Contra hunc spiritum superbiae et independentiae servanda est intemerata virtus verae humilitatis et abnegationis. Unde « quae vestri Ordinis fuit decus et vigor, severa disciplina, haec etiam nostra aetate vos servabit ad proelia Domini et « modernum », quem dicunt apostolatum aptos et expeditos ». Post haec Papa transit ad officium Superiorum regendi subditos « modeste et circumspecte » et vigilandi circa disciplinam regularem, sc. « quoad egressum subditorum e claustris eorumque commercium cum externis, quoad litteras dandas et accipiendas, quoad itinera facienda, ad pecuniam expen-

dendam vel gerendam, immo etiam quoad curam habendam, ut omnes exercitia illa pietatis fideliter expleant, quae veluti anima sunt religiosae observantiae simul et apostolatus. Nil autem prosunt optima Regulae, nisi ii quibus incumbit earum obtemperationem urgere, fortiter et constanter proprio munere fungantur ». Ad has virtutes accedat oportet, sequela Christi crucifixi ad mentem S. Ignatii et maior fiducia in media supernaturalia quam in media illa naturalia. Ad hanc Christi imitationem pertinet imprimis « fidelis observatio paupertatis », quae tantopere S. Ignatio cordi erat. Quod paupertatis elementum per singula explicatur et illustratur cum hortatione finali, « Religiosi cum sitis, curate ut usus iste de medio vestri tollatur secundum spiritum Conditoris vestri. Religiosi non verbis tantum, sed exemplo praedicent paenitentiae studium, sine qua non est spes fundata salutis aeternae ». Omnia autem, quae hucusque Papa commendavit, «facilia et in Domino suavia fient, si fideles eritis vitae illi orationi deditae, quam a Vobis exspectat Legifer Pater ». Nam « Ordo vester certissime deflecteret a spiritu quem intendebat Legifer Pater vester, si institutioni in Exercitiis Spiritualibus acceptae fidelis non maneret ». Bene notat Papa: Societas Iesu neque improbat neque reicit res novas, quia novae sunt; « sed econtra, Instituto sancti Ignatii quam maxime conforme est et inter vos perpetuo traditum, rebus quibusque novis, quas postulat Ecclesiae bonum et commendat Sancta Sedes, toto animo incumbere nullumque laborem « adaptationis », quam dicunt, refugere ». Sed sub clausula: « quae sapienter ideo tradita sunt quia ex Evangelio vel ex ipsa natura humana eaque lapsa postulantur (quae est ascesis religiosa qualem ab antiquis Ordinibus didicit et mutuatus est Conditor vester), illa sarta tecta contra omnia mundi daemonisque molimina firmiter custodiatis ». Tandem circa formam regiminis Pius XII haec sentit: « Inter substantialia primi Ordinis vestri Instituti... illud habetur: « Formam gubernandi in Societate esse monarchicam, in definitionibus unius Superioris contentam ». Quam normam confirmat supremus legislator hisce verbis: « Haec autem Sedes Apostolica, probe noscens auctoritatem Praepositi Generalis cardinalem veluti esse, in quo nititur vestri Ordinis vigor et sànitas, nedum in hac re quidquam spiritui huius aetatis conivendum fore censeat, id ex contrario intendit, ut nempe plena atque monarchica illa auctoritas, quae subsit tantum superiori auctoritati Congregationis Generalis, atque supremae huius Sanctae Sedis, inconcussa servetur, etsi opportuno modo, salva omni ex parte forma gubernandi monarchica, huius onus levetur ». Pro ultima monitione Pius XII commemorat illud Clementis XIII dictum huius tenoris: « Decessori Nostro p. m. Clementi XIII tribuitur dictum illud, quod, sin minus ad verbum,

ad sensum certe eius mentem refert, cum ab eo petebatur ut vestrum Ordinem ab Instituto a sancto Ignatio condito recedere sineret: « Aut sint ut sunt aut non sint ». Quae est et manet etiam Nostra mens: sint Iesuitae quales eos formarunt Exercitia Spiritualia, quales eos volunt eorum Constitutiones ». Pro Societate Institutum « via est ad Deum ». (*A.A.S.*, 23 Octobris 1957, vol. 49, pp. 806-812).

16 Septembris 1957 — *Iis qui interfuerunt Conventui « Journées familiales internationales », ab « Union internationale des Organismes familiaux » Romae indicto.*

« Au cours des années précédents, ita Papa, vous avez étudié nombre de problèmes économiques, sociaux ou éducatifs intéressant la vie des familles; Nous vous exprimons Nos félicitations pour les résultats obtenues et les améliorations, que vous avez pu déterminer dans un domaine qui Nous tient fort à coeur. Vous abordez cette année un sujet, qui mérite certes la plus vive sollicitude et la sympathie agissante de tous: celui des familles privées de père ». Pius XII non intrat in quaestiones ipsius Conventus, sed sibi proposuit « de dire ici quelques mots sur le problème spirituel et religieux du veuvage et de préciser les attitudes intérieures et les dispositions, qui conviennent à la veuve chrétienne et commandent l'orientation de sa vie. Nous pensons surtout avec une paternelle sollicitude à celles qui, jeunes encore, ont la charge d'une famille à élever et sont donc les plus lourdement frappées par la disparition de leur mari ». Quam mentem magister in cathedra Petri per circa quinque paginas splendide evolvit tangendo etiam quaestionem de relatione viduae ad secundas nuptias (*A.A.S.*, - 22 nov. 1957, vol. 49 pp. 898-904).

27 Septembris 1957 — *Ad Exc.mam Dominam 'M' a Ntsebo Seeiso Griffth Ameliam, Nationis Basutoland Regentem. — Papa post salutatam Regentem una cum Regente testatur suum profundum studium pro Africa, uti facile erui poterit ex litteris Encyclicis « Fidei donum » 21. IV. 1957; tanguntur etiam condiciones sociales, oeconomicae, politicae Africae, quae ultimis temporibus admirabilem evolutionem percucurrit, necnon pericula magna ex atheistico materialismo. Deinde Papa respicit ipsum territorium Regentis, quod a Deo specialem gratiam recepit « in a saintly missionary of heroic stature, Fr. Gerard and in a Paramount Chief, Nathaniel Griffth Lerotholi ». Tandem commemoratur Universitas Studiorum condita sub nomine Pii XII* (*A.A.S.*, - 22 nov. 1957, vol. 49, pp. 904-906).

29 Septembris 1957 — *Iis quae interfuerunt Conventui XIV Internationali ex « Union Mondiale des Organisations féminines catholiques », Romae habito. --- Papa suum gaudium exprimit de Conventu, qui repraesentat « trente-six millions de femmes catholiques inscrites dans les organisations nationales, qui font partie de votre Union ». Deinde extollitur magnus influxus huius Unionis, « puisque vous avez maintenant statut consultatif auprès du Conseil economique et social des Nations-Unies, de l'*UNESCO, *de la* FAO, *de l'*OIT *de l'*UNICEF, *du Conseil de l'Europe et de l'Organisation des Etats Américains. Il vous est possible, de la sorte, de faire connaître dans les secteurs d'opinion les plus différents la pensée de l'Eglise sur le développement de la personnalité de la femme et sur sa mission dans le monde moderne ». Deinde est sermo de « Ce problème que l'on désigne d'habitude sous la formule « Promotion de la femme », n'est-il pas en effet au premier plan des préoccupations de nombreuses associations féminines internationales de tendances diverses, protestantes, neutres, ou marxistes, comme aussi des organisations internationales officielles? ». Ut Unionem adiuvet in suo difficili labore, Pius XII alloquitur praesentes « de la mission et de l'apostolat de la femme catholique sous ses trois aspects: l'apostolat de la vérité, l'apostolat de l'amour, l'apostolat de l'action.* TROIS ASPECTS DE L'APOSTOLAT DE LA FEMME CATHOLIQUE. *I.* L'apostolat de la verité. *Trois points essentiels ». Quae tria puncta sunt: 1) « Rélation de la femme à Dieu »; 2) « Appartenance de la femme au Christ »; 3) « Dependance de la femme envers l'Eglise ». Secundus aspectus hic est: « L'apostolat de l'amour ». Papa evolvit hanc mentem sub hisce rationibus: 1) « La charité inspiratrice des œuvres »; 2) « Aide en faveur des populations besogneuses »; 3) « Epanouissement de la charité »; tertius aspectus est « L'Apostolat de l'action ». Intentio Pontificis evolvitur sequenti modo; primo est sermo de « nécessité de l'action »; deinde de « initiative de l'action »; tertio est sermo de « universalité de l'action ». Splendida allocutio concluditur cum « exhortation à l'apostolat ». Speciali gaudio affectus est Papa ratione praesentium sodalium ex Africa et Asia; deinde mens Pii XII sese dirigit in Americam Latinam* (*A.A.S.*, - 22 nov. 1957, vol. 49, pp. 906-922).

4 Octobris 1957 — *Ad Exc.mum virum Eamon de Valera, Primum Ministrum Hiberniae Gubernii. --- Papa profitetur suum amorem in Insulam smaragdinam, mentionem facit hierarchiae Hiberniae et Praesidentis Status et extollit capacitatem Hiberniae ad proprium regimen et Constitutionem, fundatam super prudentiam, iustitiam, caritatem. Speciali modo Pius XII commemorat Lucam Wadding*

O. F. M., cuius dies obitus post tria saecula (11. XI. 1657), Romae celebrandus fuit. Wadding fuit natus in Hibernia; et eminens historiographus O. F. M. (Annales Minorum seu trium Ordinum S. Francisci (1208-1540) (A.A.S., 25 nov. 1957, vol. 49, pp. 953-954).

7 Octobris 1957 — *Consociationi Italicae « Centro dei Volontari della Sofferenza » aegrotisque eidem adscriptis, Romae coadunatis. --- Pius XII incipit suam Allocutionem hisce verbis: « Davanti a questa moltitudine di malati « multitudo magna languentium » (Io. 5. 3), che si offre al Nostro sguardo, Noi sentiamo vivo il rammarico di non poter trovarCi più intimamente in mezzo a cosi diletti figli e figlie. Vorremmo, cioè, ascoltare ciascuno di voi, asciugare ogni vostra lagrima, partecipare alle vostre ansie e ai vostri dolori, rasserenare il vostro spirito, posando sul vostro capo la Nostra mano benedicente. Siamo lieti, tuttavia, che le onde della Radio rendano possibili alla Nostra voce di penetrare in ogni casa, passare fra le corsie degli ospedali, sostare accanto a ogni letto, dove i pazienti soffrono e gemono ». Deinde pergit: « Per contribuire a confortarvi, a sostenervi nelle vostre pene, vi invitiamo a una breve meditazione: in primo luogo su quello che è in voi l'apparenza, e poi su ciò che è invece la consolante realtà. 1. Sulla vostra apparenza si indugia il mondo, col suo sguardo miope, e quindi superficiale e necessariamente incompleto »; quae mens uberius in duobus punctis explicatur. Sed « Eppure veramente la vostra realtà è ben altra, e su di essa si posa lo sguardo penetrante di Gesù »; nam « voi non siete soli, voi non siete inutili »; non inutili: « un operaio delle acciaierie di Terni, colpito da artrite deformante, che lo aveva reso immobile per 18 anni, morto in concetto di santità, così notava in una delle sue lettere: « Gli ammalati non siano mai disoccupati, ma strappino sempre le anime al nemico delle nostre anime, fino alla salvezza totale di tutte le anime che popolano il mondo » (A.A.S.,* - 25 nov. 1957, vol. 49, pp. 954-958).

8 Octobris 1957 — *E.mo P. D. Ioanni S. R. E. Cardinali D'Alton, Archiepiscopo Armachano, Exc.mo Viro Eamon de Valera, Hiberniae Primo Ministro, Exc.mis Episcopis Hiberniae ceterisque praeclaris peregrinis, qui Romae advenerant Lucam Wadding celebraturi, tertio exeunte saeculo ab eius obitu. --- Post salutatum illustrem Conventum Papa illustrat summa merita Lucae Wadding O. Fr. Min., qui natus in Hibernia 16. X. 1588, diem supremum obiit Romae (18. XI. 1657). Urbem prima vice petiit qua theologus regis Hispaniarum, ut promoveret definitionem dogmaticam Immaculatae Conceptionis B. M. V. Ad hunc scopum sese dedit*

multis studiis Romae, Neapoli et scripsit opus: « Legatio, Philippi III et IV pro definienda controversia Immac. Conceptionis ». Dulcis nuntius omni cordi Franciscano et omnibus incolis Hiberniae! Insuper Papa commemorat etiam factum, quod Wadding fundavit Romae pro confratribus suae nationis Collegium S. Isidori et pro clero Hibernico Collegium Cardinalis Ludovisi; qui clerus heroica facta perfecit pro fide catholica conservanda in Hibernia (*A.Á.S.*, - 25 nov. 1957, vol. 49, pp. 959-961).

27 Octobris 1957 — *Summus Pontifex, postquam Stationem Radiophonicam Vaticanam, ad S. Mariam de Galeria nova sede auctam, sacro ritu lustravit, coram E.mis Patribus Cardinalibus et Exc.mis Nationum Legatis ceterisque adstantibus verba fecit. --- Allocutio hoc exordium sumpsit: « Attendite populi de longe » (Is. 49, 1), audite omnes; ex nova Statione Radiophonica Vaticana, hoc est ex hac antemnarum silva, quibus excelsa atque invicta Crux superstat, veritatis caritatisque signum, « os Nostrum patet ad vos » (2 Cor 6, 11). Imprimisque cupimus immortales ex animo grates agere Deo Optimo Maximo, qui non modo caelum et terram mirabili prorsus rerum cohaerentia atque concordia condidit, sed arcanas etiam vires elementis omnibus indidit, quas hominum mens pervestigando exquirit, laboriose detegit, atque in suam ipsorum servitutem redigit. Ita fit ut humana vox, machinamentis captata ingeniosissime exstructis, electricas undas eliciat, quae cum immensa terrae marisque spatia transvolaverint, aliis instrumentis excipiuntur, iterumque eandem referunt vocem, perinde ac si qui verba ex longiquo faciunt, praesentes colloquantur. Hoc est radiophonicum inventum, unum certe ex maximis, quae hominum ingenium hac nostra aetate feliciter invexit ». Sed omnia ad hominibus inventa debent servire ultimo fini; nam haec inventa etiam malo scopo servire possunt (cf. Litt. Encycl. « Miranda prorsus »). Ecclesia utitur hisce inventis pro praedicando verbo divino. Deinde Papa gratias agit omnibus, qui suis mediis temporalibus et artibus ad opus perficiendum contulerunt. Ultimo Pius XII monet ad pacem* (*A.A.S.*, - 25 nov. 1957, vol. 49, pp. 961-965).

4 Novembris 1957 — *Ad Legatos populares legibus ferendis, Romae coadunatos, ob Conventum Coetus, qui « Communauté Européenne du Charbon et de l'Acier » appellatur. --- Papa indicat scopum dicti Coetus (C. E. C. A.) hisce verbis: « C'est avec plaisir que Nous vous accueillons, Messieurs, et que Nous saluons en vous la première et jusqu'à ici l'unique, institution parlamentaire européenne régulièrement constituée de répresentants d'Etats différents. Nul n'ignore avec quel intérêt Nous avons suivi les efforts*

de fédération, qui se poursuivent depuis la fin du dernier conflit mondial, et en particulier le projet qui devait aboutir à la constitution de cette Communauté Européenne du Charbon et de l'Acier, munie de veritables pouvoirs gouvernementaux dans son propre domaine. L'idée en fut lancée au mois de mai 1950 dans un esprit à la fois audacieux et réalisateur, et dès l'année suivante un traité signé par les six pays, que vous répresentez, lui donnait son expression; ce traité entrait en vigueur le 25 juillet 1952, et bientôt les premiers résultats économiques s'en faisaient sentir de façon favorable »; deinde est sermo de necessitate relationis oeconomicae inter diversos Status et « il faut un droit reconnu, il faut un pouvoir capable de le faire observer », porro tangitur progressus socialis resultans ex Coetu et informatio socialis; insuper « une leçon morale d'énergie et de patience se dégage de la situation actuelle de la C. E. C. A. ». Tandem Pius XII gaudet de fructibus capiendis in ordine spirituali et humano ex ipsa Coetus operatione (*A.A.S.*, - 25 nov. 1957, vol. 49, pp. 966-969).

NUNTIUS RADIOPHONICUS:

15 Septembris 1957 — *Christifidelibus datus ad Sanctuarium Marianum in « Mariazell » coadunatis, octavum revolutum saeculum ab eodem condito sacris sollemnibus celebrantibus.*
Sanctuarium celeberrimum « Mariazell » (Cella Mariae), Sanctuarium nationale Austriae celebravit hoc anno fundationem Cellae ante octo saecula, cui honor competit: antiquissimum et maximum Sanctuarium Genitricis Mariae in Austria, unde titulus « Magna Mater Austriae ». Papa revocat in memoriam summas gratias in illo sanctuario a Maria concessas, auxilium praestitum post Reformationem sic dictam, adiutorium praestitum Ferdinando II Austriae tempore belli triginta annorum, tempore calamitatum a Turcis illatarum (Innoc. XI, Ioannes Sobieski, rex Poloniae). Pius XII commemorat vulnera Ecclesiae in Austria inflicta ante duo saecula per Liberalismum et deinde per ultima duo bella. Papa enumerat peregrinationes occasione Iubilaei institutas monetque: Austriaci, habete fiduciam in Mariam, audite iterum atque iterum: hora est Apostolatus laicalis, sitis conscii de vestra responsabilitate pro populis Austriae vicinis; orate in Cella Mariae pro intentionibus totius Ecclesiae. (*A.A.S.*, 26 Octobris 1957, pp. 854-857).

NUNTIUS SCRIPTUS DATUS:

5 Augusti 1957 — *Iis qui interfuerunt conventui Tertio Internationali Docentium Catholicorum, auspice « Union Mondiale des Enseignants Catholiques », Vindobonae habito.*

Pius XII refert: idea Unionis omnium docentium catholicorum nata est in Austria; Unio ipsa facta est Anno Sancto 1950 et sumpsit hisce paucis annis magnam evolutionem (320000 sodalium). Petente Unione a Papa elementa directiva ipse respondit: ex circa centum et quinquaginta annis Ecclesia catholica pugnat pro schola catholica, cuius anima est magister vere catholicus. Deinde transit Papa ad obiectum discussionum habendarum: « Die Aufgaben des katholischen Lehrers im internationalen Leben » (de officiis magistri catholici in vita internationali), et transit diversa territoria sub hac luce (Americam Latinam, Asiam, Africam) et unum punctum speciale pro magistris tangit: sc. rem cinematographicam, radiophonicam, televisificam). (*A.A.S.*, 26 Octobris 1957, vol. 49, pp. 857-861).

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS:

6 Iunii 1957 — Tarraconensis - Valentinae et aliarum — *Decretum de mutatione finium dioecesium.*
Ratio: utilitas Catholicae Religionis atque incrementum.
A.A.S., - 6 Iunii 1957, vol. 49, pp. 864-865).

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE:

13 Iulii 1957 — Confinioris Californiae (*Tigiuanaënsis*). — *Decretum. Vicariatus Apostolicus Confinioris Californiae deinceps « Tigiuanaënsis » appellabitur. --- Ratione erectionis Praefecturae Apost. Pacensis in California Inferiori et inde condicionum mutatarum Vicariatus Ap. Confinioris Californiae in futurum appellatur « Tigiuanaënsis ». California Inferior est ex a. 1874 Vicariatus Apost. et pertinet ad territorium Mexicanum* (*A.A.S.*, - 25 nov. 1957, vol. 49, p. 974).

SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS.

28 Iulii 1957 — *Decretum. Studiorum Universitas « De Paul » Chicagii, in Foederatis Statibus Americae Septemtrionalis, Canonice erigitur, eiusque Facultas Musicae Pontificio Romano Instituto Musicae Sacrae affiliatur. — S. Vincentius a Paulo ipsiusque filii numquam destiterunt ab erudienda iuventute; unde ipsi a. 1898*

in civitate Chicagiensi « Institutum superiorum studiorum 'De Paul' » plantaverunt, quod nunc complectitur iam quinque Facultates. Erectio in Catholicam Studiorum Universitatem ergo iustificata, necnon affiliatio « Facultatis Musicae » ad « Pontificium Institutum Musicae Sacrae in Urbe », sub certis condicionibus (*A.A.S.*, - 25 nov. 1957, vol. 49, pp. 975-977).

D. G. Oesterle O. S. B.

Direttore Responsabile Mons. FIORENZO ROMITA - Largo di S. Rocco, 1 (Tel. 65.786)
Autorizzazione del Tribunale di Roma N° 1373 del 15 / 2 / 1950